This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com


Digitized by Google

A 402/807

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PRECES GERTRUDIANAE

SEU

PIA ET SANCTA MEDITATIA PRECUM

POTISSIMUM EX REVELATIONIBUS

S. GERTRUDIS ET MECHTILDIS

EXCERPTARUM.

NOVA, ACCURATE RECOGNITA

ET EMENDATA

EX ARCHETYPO ORDINIS S. BENEDICTI

CONGREGATIONIS BEURONENSIS

EDITIO

SUB AUSPICIIS ET COOPERATIONE REV. ARCHIABBATUM PRIMATIALIS

ET SUPERIORUM ORDINIS

CUM IMAGINE.

FRIBURGI BRISGOVIAE

SUMPTIBUS HERDER

TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.

MCMIII.

IMPRIMATUR

ARCHIABBATIAE ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI

AMERICAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRECES GERTRUDIANAE

SIVE

VERA ET SINCERA MEDULLA PRECUM

POTISSIMUM EX REVELATIONIBUS

BB. GERTRUDIS ET MECHTILDIS

EXCERPTARUM.

EDITIO NOVA, ACCURATE RECOGNITA
ET EMENDATA

A MONACHO ORDINIS S. BENEDICTI
CONGREGATIONIS BEURONENSIS.

BIBLIOTHEQUE S.J.
CHANTILLY

CUM APPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBURGENSIS
ET SUPERIORUM ORDINIS.

CUM IMAGINE.

FRIBURGI BRISGOVIAE.
SUMPTIBUS HERDER
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MCMIII.
VINDOBONAE, ARGENTORATI, MONACHII, S. LUDOVICI
AMERICAE.

Digitized by Google

Imprimatur.

Friburgi Brisgoviae, die 3. Novembris 1902.

✠ Thomas, Archiepps.

Imprimi permittitur.

Beuronae, die 15. Octobris 1902.

† Placidus, Archiabbas.

Omnia iura reservantur.

Typis Herderianis, Friburgi Brisgoviae.

Digitized by Google

PRAEFATIO EDITORIS.

QUONIAM ad augendum orationis veraeque devotionis spiritum contulisse, sanctitatis studium promovisse est, facere non potuimus, quin — impellente simul Superiorum auctoritate — quorundam spectatae pietatis virorum cederemus instantiis de curanda *Precum Gertrudianarum* nova editione. Venit autem eo nomine aureus quidam libellus, quem piissimus auctor anonymus, SS. Gertrudis ac Mechtildis supplicandi rationem vel ad verbum secutus vel saltem imitatus, a. 1670 Coloniae apud Guil. Friessem primum edidit. Qui libellus quanta in aestimatione apud viros pietati studentes olim fuerit, vel inde collegeris, quod iam a. 1673 Coloniae iterum et a. 1679 ibidem denuo prodierit. Successerunt aliae plures editiones, ut ex.

Digitized by Google

gr. Coloniae 1703, Einsidlae, typis monasterii, per Eberh. Kaelin, 1748, et saeculo elapso Bruxellis apud Goemaere 1855, Parisiis et Tornaci apud Kastermann 1858. Verum quidem est S. Congregationi Indicis quasdam ex illis precibus displicuisse eamque libellum decreto d. d. 4. Martii 1709 prohibuisse, „nisi expungantur Litaniae et Officia a S. Rituum Congregatione non approbata“; de cetero autem precationes spiritum sanctitatis redolere ac sincerae pietatis medullam continere, nemo expertus negaverit, omnesque primae editionis censores uno ore sunt testati.

Novam igitur hanc editionem ad primam et alteram Coloniensem (a. 1670 et 1673) accurate exegimus, habita tamen ratione praedicti decreti, licet in novissima Indicis editione (Romae 1900) omissi; relictis item aut emendatis iis, quae minus probata videbantur quaeque auctor sive quoad indulgentias sive quoad alia minoris momenti spuriis ex fontibus hauserat. Praetermisimus quoque kalendarium ab auctore in initio suae editionis positum.

Digitized by Google

Quae vero ex authenticis BB. Gertrudis ac Mechtildis revelationibus deprompserat, in editione nostra cum criticis Patrum Solesmensium editionibus [1] diligenter collata habes atque ad normam textus illic exstantis emendata. In citationibus quoque locorum SS. Gertrudis et Mechtildis, in quibus magnam a prioribus editionibus discrepantiam deprehendes, novas Solesmensium editiones secuti sumus. — Litaniis a S. Congregatione reiectis substituimus eas, quae hodie in s. ecclesia approbatae sunt.

Sub auspiciis itaque utriusque Sanctae libellus iterum prodeat: qui sicut olim, ita et in posterum plurimorum volvatur manibus in eorumque animos pietatis sanctitatisque ardentissimos instillet affectus. Sit filiis praesertim gloriosi Patriarchae Benedicti pretiosus, cuius spiritu repletae S. Gertrudis ac S. Mechtildis *cum puritatis devotione*

[1] S. Gertrudis Magnae, Virg. O. S. B., Legatus divinae pietatis. Parisiis et Pictavii, apud Oudin, 1875. — S. Mechtildis, Virg. O. S. B., Liber specialis gratiae, ibid. 1875.

Digitized by Google

et compunctione lacrimarum supplicare nos docent (S. Reg. c. 20). Sit sacerdotibus carissimus individuusque comes eorumque corda rore caelesti recreare sanctoque amoris igne inflammare ne desinat. Vos nominatim appello, electae sacerdotales animae, quae *Eucharisticae Confoederationi* nomen dedistis: quibus prae ceteris libelli huius manna caeleste gustandum offero. Sit vobis in privatis orationibus cotidianus adiutor, sit in eucharisticis horis affectuum ac verborum inspirator, sit animae quaerenti ac sitienti Deum dux et refectio, sit divini Cordis praeco ac nuntius ex altari vos invitantis ac provocantis: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus!* (Ps. 33, 9.) Et iterum: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos!* (Matth. 11, 28.)

Scribebam ad S. Martinum Beuronae, in festo S. Thomae Ap., 21. Dec. 1901.

EDITOR.

Digitized by Google

PRAEFATIO AUCTORIS ABBREVIATA.

LIBELLUM hunc, devote lector, exiguum quidem mole, at vere magnum dignitate et orationum efficacia, quem ex mellifluis BB. virginum Gertrudis et Mechtildis revelationibus multo studio et labore collegi, tibi praesento, omnino confidens, quod gratanter sis acceptaturus. Continet enim (licet sub inculto et humili stylo) orandi modum, quem Christus ipse praefatis suis sponsabus revelavit: tum oretenus, tum per Spiritum suum eas instruendo, quaenam orationes sibi essent gratiores, quomodo, quave intentione easdem orare, quomodo sanctis suis orationibus unire, quomodo divino Cordi suo commendare, et demum quomodo ipsi ad offerendum

Digitized by Google

Deo Patri praesentare deberent. Haec et his similia quantae sint efficaciae, licet hinc inde breviuscule insinuaverim, longe tamen uberius cum maxima cordis tui consolatione in praefatis revelationibus invenies.

Ne autem iisdem, utpote quae a muliebri sexu promanarint, fidem tribuere verearis, scias velim, quod illae ipsae ab integris Academiis et Universitatibus et a plurimis viris doctissimis pariter et pientissimis sint examinatae et censuratae. E quorum numero sunt Ludovicus Blosius, abbas Laetiensis, Didacus de Yepes, episcopus Turiasonensis, Ioannes Landspergius, carthusianus, Tilmannus Bredenbachius et Bzovius. Taceo plurimos alios antiquiores, B. Gertrudis contemporaneos et familiares, e quibus unus in hunc modum: *Ego in veritate divini luminis sentio, neminem, qui spiritu Dei sit illustratus, posse calumniari et impugnare ea, quae in hoc libro scripta sunt. Equidem offero et obligo me usque in mortem pro defensione huius catholicae et sanctae eruditionis, ad occurrendum cuicumque.*

Digitized by Google

Et certe si vitam illam angelicam et ultra quam dici potest sanctam et mirabilem, quam ambae illae sorores ab incunabulis usque ad mortem duxerunt, nec non et ineffabilem illum stupendumque amorem, quo Christus erga illas illaeque erga Christum flagrarunt, vel in modico perspectum haberes, non foret cur mirareris, quod Christus illas cotidiana ferme personali praesentia dignarit, oretenus in via virtutis instruxerit et magis pro nostra quam ipsarum utilitate tam varias omni melle dulciores et supra omnem aestimationem efficaces orationes edocuerit.

Nec revelationes ipsae suas gratiasque e caelo communicatas, levitate quadam (ut quidam suspicari possent) inductae conscripserunt; sed ad ipsarum evulgationem iubente, immo cogente Christo impulsae sunt. Ita enim quadam vice (l. 2, c. 10) Gertrudi ex nimia sua humilitate in scriptorum suorum editionem nequaquam consentire volenti aiebat Christus: *Certo scias te numquam de carcere carnis exituram, donec et illum* (scripta eius pu-

Digitized by Google

tabat) *quem adhuc retines, persolvas quadrantem.* Et addidit: *Absque contradictione certum divinae pietatis meae testimonium volo habere in scriptis tuis his novissimis temporibus, in quibus dispono benefacere multis.* Similia reperies in Revelat. S. Mechtildis l. 2, c. 43 et l. 5, c. 31.

Et certe cotidiana confirmat experientia, quod stylus et verba, quibus revelationes illae conscriptae sunt, aliquid ultra humanum sapiant, cum tam suaviter afficiant legentem tantumque ei devotionis affectum instillent. Unde omni possibili modo in hoc meo libello conatus sum stylum illum exacte imitari verbaque syllabatim transscribere.

Attamen non inficior, quod hinc inde verbum unum aut alterum in ipsis revelationibus expressum omiserim vel addiderim, aut etiam transposuerim, at non alia de causa, quam ut legentium gustui deservirem. Ad haec licet etiam plurimas orationes, quarum nulla erat mentio in praefatis revelationibus, (ut omni hominum conditioni deservirem), ex proprio addidisse videar; attamen vix erit ulla, quam non

Digitized by Google

ex ipsis fontibus hinc inde collectis et in unam orandi formam redactis verbis emendicarim. Demum etiam moneo, quod ob libelli huius brevitatem praefationes orationibus praefixas quam parcissime posuerim: quas proinde pro maiore animi tui consolatione in ipsis fontibus uberiores habere poteris.

Suscipe ergo, pie lector, opellam hanc eamque sedulo pervolve, et certe non te paenitebit sumptuum nec laboris. Et ne orationum prolixitas taedium aliquod tibi pareret, hinc omni modo conatus sum brevissimas concinnare et rescissa omni verborum ambage, solam substantiam tibi ministrare: quas proinde spero tardiore lingua et attentiore mente, quod valde exopto, te percursurum. Vale, Deumque pro me in tuis precibus seu sacrificiis, quibus me devotissime commendo, exora.

Scribebam in festo Nativitatis B. Mariae Virginis a. 1670. Proxime habebis editionem secundam in typo ac forma minore ac emendatiore.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX.

Pag.

Praefatio editoris III
Praefatio auctoris VII

PARS PRIMA.

PRECES MATUTINAE, DIURNAE, VESPERTINAE.

PRECES MATUTINAE.

Salutatio Cordis Iesu 1
Commendatio ad Iesum 2
Suspirium ad Iesum 3
Intentio matutina 4
Pactum cum Deo 4
Pactum maius 5
Suspiria ante et post orationem 7

PRECES DIURNAE.

Ad sonitum horologii 12
Ad laborem et comestionem 13
Post lapsum in peccatum 14

PRECES VESPERTINAE.

Gratiarum actio 15
Commendatio ad Cor Iesu 16
Ad B. Virginem etc. 17
Intentio ante somnum 17

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

DE SACRIFICIO MISSAE.

Pag.
Orationes sub Missa 19
Adoratio SS. Sacramenti 35

PARS TERTIA.

DE SS. TRINITATE.

Quinque laudis cantica 39
Variae laudes ac iubilationes 48
Gratulatio ad Deum 53
Gratiarum actio 54
Professio beneficiorum Dei 56
Professio fidei 57
Fiducia in Deum 59
Amor Dei 62
Holocaustum 66
Resignatio 68

PARS QUARTA.

ORATIONES AD CHRISTUM.

Corolla gemmea 71
Blanditiae Iesu 76
Oratio ad SS. Nomen Iesu 77
Litaniae de SS. Nomine Iesu 80
Petitio ad Iesum pro obtinenda satisfactione . . 84
Suspiria ad Christum 85
Oblatio meritorum Christi pro peccatis propriis . 86
Salutatio Iesu melliflua 87
Salutationes Vulnerum Christi 88
Salutatio SS. Cordis Iesu 89
Litaniae de SS. Corde Iesu 92

Digitized by Google

PARS QUINTA.

DE PASSIONE DOMINI.

	Pag.
Decem orationes ad Christum passum	96
Quinque oblationes passionis Christi	102
Oblatio Christi in cruce pendentis	109
Oblatio brevior	112
Oratio ad Christum passum	113
Suspirium animae Christo passo compatientis	114
Alia oratio ad Christum passum	117
Salutatio omnium membrorum Christi	120
Oratio ad Christum in cruce pendentem	122
Tres gratiarum actiones ad Christum in cruce	123
Laus Christi in passione sua contempti	125
Blanditiae Christi in passione sua blasphemati	125
Salutatio vulneris lateris	127
Oratio ad vulnus humeri	128
Oratio de passione Domini	129

PARS SEXTA.

DE BEATA MARIA VIRGINE.

Variae laudes Deiparae	131
Suppletio B. Virgini gratissima	135
Oblatio Cordis Iesu ad B. Virginem	137
Gratiarum actio pro gratiis B. Virgini concessis	137
Salutatiuncula aurea ad B. Mariam Virginem	138
Ave Maria aureum	138
Iubilus Marianus	140
Tres efficacissimae petitiones ad B. Virginem	141
Quinque gaudia B. Virginis	142
Ad Ecce Ancilla	143
Suspiria peccatoris ad Mariam	144
Invitatio B. Virginis ad suum obitum	146

Digitized by Google

Pag.
Tria Ave Maria pro felici fine 147
Gladii doloris in corde B. Virginis 149
Litaniae lauretanae 154

PARS SEPTIMA.

ORATIONES DE SANCTIS.

Instructio, quomodo sancti colendi sint . . . 159
Ad S. Michaelem archangelum 160
Ad angelum custodem 162
Ad S. Ioannem evangelistam 163
Ad S. Benedictum 163
Ad S. Mariam Magdalenam 164
Gratiarum actio pro gratiis B. Gertrudi concessis . 165
Petitio ad Christum per merita B. Gertrudis . . 166
Orationes ad S. Gertrudem 167
Congratulatio ad B. Mechtildem 170
Gratiarum actio pro gratiis B. Mechtildi collatis . 170
Oratio ad quemcumque martyrem 171
Ad quemlibet confessorem 172
Ad quamcumque virginem et martyrem . . . 174
Ad quamcumque virginem 175
Ad sanctum vel sanctam, cuius festum celebratur . 176
Oratio brevior ad sanctum, cuius festum colitur . 178
Invocatio omnium sanctorum 178
Litaniae de omnibus sanctis 180

PARS OCTAVA.

ORATIONES PRO DIVERSIS NECESSITATIBUS.

Osculatio quinque vulnerum pro peccatis ecclesiae . 187
Oblatio meritorum Christi pro peccatis ecclesiae . 190
Oblatio orationis dominicae 190

Digitized by Google

Pag.
Oratio pro tota ecclesia 191
Tria Laudate pro peccatis ecclesiae vel propriis . 192
Oratio pro amicis 194
Pro inimicis 195
Oratio in tribulatione 196
Oratio infirmi aut afflicti 197
Oblatio cuiuscumque doloris 199
Resignatio infirmi 199
Oratio pro infirmo 200
Tres orationes pro felici morte 201
Tres orationes pro agonizante 206
Oblatio passionis Christi pro defunctis . . . 208
Quattuor orationes pro defunctis 209
Oratio Dominica pro defunctis 212
Brevis et efficax oratio pro defunctis 216
Oratio ad ipsos defunctos 217

PARS NONA.

ORATIONES PRO PECCATIS.

Accusatio sui ob multiplicia peccata 220
Alia accusatio 222
Vera contritio pro obtinenda plenaria a Christo indulgentia 224
Brevis confessio peccatorum 225
Petitio ad Iesum pro obtinenda satisfactione . . 226
Oratio devota, qua peccator per passionem Christi rogat sibi ignosci 228
Alia oratio 229
Oratio ante confessionem 231
Brevis et efficax modus eliciendi contritionem . . 233
Post confessionem 234
Oratio ante paenitentiam dicenda 236

Digitized by Google

Pàg.

Oratio a sacerdote ante administrationem Sacramenti dicenda 238
Oratio sacerdotis post auditas confessiones . . 239

PARS DECIMA.

ORATIONES ANTE ET POST COMMUNIONEM.

Praeparatio ad sacram Synaxin 240
Ad omnes sanctos 243
Ad beatissimam Virginem 244
Ad Christum 245
Oratio ante Communionem 246
Invitatio Iesu 248
Post Communionem 250
Oblatio ad Patrem 252
Oblatio ad sanctos 254
Gratiarum actio 255
Conclusio 257
Tres orationes pro lucrandis indulgentiis . . . 258

PRAEPARATIO SACERDOTIS AD ALTARE ACCESSURI 262

TESTAMENTUM ANIMAE 268

Digitized by Google

PARS PRIMA.

PRECES MATUTINAE, DIURNAE, VESPERTINAE.

PRECES MATUTINAE.

Salutatio Cordis Iesu.

Mane cum surgis, aiebat Christus ad B. Mechtildem, saluta primo Cor meum et offer mihi cor tuum. (P. 3, c. 17.)[1]

Adoro, laudo et saluto te, dulcissimum et vernans Cor Iesu Christi, ex quo tamquam ex mellifluo gratiarum fonte omne bonum omnisque dulcedo effluxit et effluit. Et ex totis viribus cordis mei ago tibi gratias, quod me hac nocte custodieris Deoque Patri pro me laudes et gratiarum

[1] Citationes referuntur ad S. Mechtildis Librum specialis gratiae, et S. Gertrudis Legatum divinae pietatis, iuxta editiones supra in Praef. commemoratas.

Digitized by Google

actiones persolveris. Et nunc, o dulcis amor meus, offero tibi miserum et indignum cor meum in sacrificium matutinum, et omni qua possum devotione includo et commendo illud dulcissimo Cordi tuo: rogans ut divinas tuas influxiones illi infundere atque sancto tuo amore accendere digneris. Amen.

Commendatio ad Iesum.

B. Gertrudis intellexit hominem, si se commendet Deo, orans ut ipsum a peccato custodiat, licet forte occulto Dei iudicio graviter in aliquo deliquerit, numquam tamen sic delinquere, ut gratia Dei eum non velut baculus sustentet et facilius ad paenitentiam reducat. (L. 3, c. 30.)

Pie Iesu, in unione amoris illius, quo in cruce Patri spiritum commendasti, commendo tibi spiritum et animam meam atque in sacratissimum vulnus dulcissimi Cordis tui includo, ut in eodem ab omnibus inimici insidiis protegantur. Tu nosti, bone Iesu, et ego satis experior, quam infirmus et labilis sim, adeo ut nec ulla hora sine tua speciali gratia in bono persistere aut ulli tentationi ex me resistere possim. Ideo rogo per reverentiam unionis illius,

Digitized by Google

qua humanitas tua causa glorificationis nostrae venerandae Trinitati unitur, ut voluntatem meam tibi unire et, ne contra te insurgere queat, confortare digneris. In unione innocentissimorum membrorum tuorum commendo tibi singula membra corporis mei cum omni motu suo, ut hac die numquam nisi ad laudem et gloriam tuam et propter amorem tuum commoveantur. Amen. (Gert. l. 5, c. 27.)

Suspirium ad Iesum.

B. Mechtildi Christus ostendit omne, quod per ipsum Deo Patri offeratur, summam Patris complacentiam habere atque ab ipso omnem supplicantis defectum aut neglegentiam perfici atque suppleri (P. 4, c. 29). — Quare frequenti ac pio suspirio ad Christum adspira et per ipsum aeterno Patri opera tua offer.

Amantissime Iesu, hoc primum huius diei suspirium de fundo cordis mei haustum mitto ad te, ex omnibus viribus meis rogans, ut hac die omnes corporis et animae meae actiones per temetipsum in me operari easdemque in Corde tuo dulcissimo emendatas una cum perfectissimis operibus tuis Deo Patri in laudem aeternam offerre digneris. Amen.

Digitized by Google

Intentio matutina.

B. Gertrudi dicebat Christus illa opera, quae ita pure ad laudem Dei in unione passionis Christi et ad salutem universitatis fiant, ut omnino abrenuntiet quis omni merito et unice intendat Deo laudem offerre, describi (in libro vitae) aureo colore. Et licet alia opera copiosam apud Deum obtineant remunerationem: illa tamen, quae pure fiant pro amore laudis Dei, multo maioris esse meriti ac dignitatis et insuper conferre homini in infinitum maius augmentum salutis aeternae. (L. 4, c. 16).

Domine Deus, propter temetipsum mihi propono, hodie et cotidie omnes meas internas et externas actiones pure ad laudem tuam et ad salutem universitatis perficere tali intentione et modo, quem tu, Deus meus, adinvenire et optare potes, et in unione illius amoris, quo Filius tuus de caelo descendit et omne opus humanae redemptionis, maxime tempore passionis suae, perfecit. Unde omnino abrenuntio omni merito, praemio et gratiae, quae per illa opera possem adipisci, ut possim tibi, Deo meo, laudem et amoris exhibitionem offerre. Amen.

Pactum cum Deo.

Deus omnipotens, ex amore et desiderio te hac tota die laudandi, sanctifico, dico

Digitized by Google

et consecro tibi omnes pulsus et motus cordis et omnium arteriarum mearum; hocque pactum tecum ineo, ut omnes eorum motus idem significent quod haec verba: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Quam significationem praefatis motibus inditam velim, adeo quod a tua divina maiestate per eosdem idem intellegatur, quantum intellegitur per illud caeleste canticum a Seraphinis decantatum. Fiat, fiat. Amen.

Pactum maius,

omni hebdomada iterandum.

Efficaciam huius pacti, quae certe maxima est, a contrario intellegere licet. Si quis enim secum statueret, quoties pedem moveret, toties ratum et gratum habere quidquid umquam mali actum est, optaretque se eius esse participem, quantae is se culpae obstringeret! Si igitur id in malo tam efficax est, quidni et in bono immensae virtutis ac meriti erit?

Domine Deus Creator meus, tu scis desiderium meum, et gemitus meus a te non absconditus: sed quia praesentis vitae necessitates minus sinunt mentem laudi tuae intendere, hinc tale pactum, quod tota hac hebdomada firmum permaneat,

Digitized by Google

tecum ineo. Quoties hac hebdomada caelum suspexero, toties gratulabor et congaudebo tibi ob infinitas perfectiones tuas, quod sis qui es, summe potens, sapiens, benignus et iustus.

Quoties oculum clausero vel aperuero, toties rata et grata habeo omnia opera et actiones, quas Unigenitus tuus et omnes sancti ac iusti ad laudem tuam umquam fecerunt et deinceps facient, meque horum participem fieri desidero.

Quoties halitum traxero, toties offero tibi vitam, passionem et sanguinem Domini nostri Iesu Christi omniumque sanctorum merita et passiones, in laudem aeternam et salutem universitatis omniumque totius mundi peccatorum satisfactionem.

Quoties suspiravero, toties detestor et abominor omnia et singula peccata tam mea quam omnium hominum, ab initio mundi contra honorem nominis tui perpetrata. Quae utinam meo sanguine aliquatenus compensari possent!

Demum quoties manum vel pedem movero, toties ex amore tui proicio et re-

Digitized by Google

signo me totum in tuam sanctissimam voluntatem; optans, ut de me in tempore et aeternitate disponas iuxta tuum laudabilissimum beneplacitum.

Et haec quinque pacta, ne umquam irritari possint, sacratissimis quinque vulnerum tuorum sigillis obsigno eaque rata et valida esse volo, licet tunc, cum unum de iisdem edidero, de iisdem minime cogitarem. Amen.

Suspirium ante orationem aut quamlibet operationem.

B. Mechtildi insinuabat Christus perutile esse in omni actione aut oratione se unire cum amore, quo ipsemet olim in terris eandem vel similem operationem exercebat. (P. 3, c. 27.)

Sanctissime Pater, in unione amoris dilectissimi Filii tui commendo tibi spiritum meum.

Oratio ante horas canonicas aut alias quascumque preces.

Omnipotens aeterne Deus, ego indignissima creatura tua compareo hic ante thronum gratiae tuae, desiderans cor meum

Digitized by Google

coram te effundere teque, Deum meum, omni possibili meliore modo venerari. Quare in unione amoris illius, quo Filius tuus te adoravit omniaque opera humanae redemptionis perfecit, hoc divinum officium (*seu* hanc orationem) inchoabo fideliterque persolvam: optans et desiderans, quod tale tibi obsequium honoris et laudis praestare possem, quale superdignissima humanitas Christi sacratissimaque Virgo Maria tibi semper exhibuerunt. Ideoque has preces meas in virtute et efficacia Cordis Christi, nomine suo omniumque angelorum, sanctorum et hominum persolvam, ad aeternam laudem et gloriam tuam: humiliter deprecans, ut me ab omni distractione et ariditate mentis custodias atque fideliter hoc precum mearum pensum persolvere largiaris. Amen.

Suspirium ante officium.

B. Mechtildi dicebat Christus, si quis hanc oratiunculam horis canonicis praemitteret, easdem cum orationibus suis uniri summeque coram Deo nobilitari. (P. 3, c. 31.)

Domine Iesu, in unione istius intentionis et amoris, quo tu laudes Deo

Digitized by Google

Patri persolvisti, has tibi horas offero et persolvo.

Remedium contra distractiones.

Dum in oratione distraheris, commenda illam Cordi Christi pro te supplendam: sicut ipse B. Gertrudi quadam vice multum distractae apparens propriisque manibus Cor suum praesentans dixit: Ecce Cor meum oculis mentis tuae praetendo, cui omnia, quae per te minus supplere sufficis, fiducialiter pro te supplenda commendabis: et sic omnia coram oculis meis apparebunt summe perfecta. (L. 3, c. 25.)

Gloria Patri cum magna semper devotione dicere assuescas. Quidam religiosus, qui horas suas neglegenter dicere consueverat, post mortem alteri cuidam apparuisse et interroganti, quidnam ob praefatam neglegentiam ipsi actum esset, respondisse narratur hanc se recuperasse per Gloria Patri, quod magna semper reverentia dicere solitus fuisset.

Suspirium post divinum officium.

B. Mechtildis pro quodam orans, qui ipsi conquerebatur, quod horas suas saepius distracte oraret, hoc a Christo accepit responsum: quod semper in fine horarum diceret, ut sequitur; insuper addens: quod, si quis id post singulas horas dicere non posset, diceret saltem septies de die, quando libuerit. (P. 3, c. 32.)

Deus, propitius esto mihi peccatori. Vel: Agne Dei benignissime et mansuetissime, miserere mei: et per temetipsum supple, quidquid in hac hora neglexi.

Digitized by Google

Oratio post officium seu quamcumque orationem.

Domine Iesu, ego hoc tepidum distractumque servitium meum commendo divino Cordi tuo emendandum et perficiendum: tibique illud offero in unione amoris illius, quo tu mortem pertulisti eamque cum omni fructu sanctissimae humanitatis tuae in die ascensionis Deo Patri praesentasti. (Gert. l. 5, c. 31.)

Modus offerendi efficacissimus.

Cum B. Gertrudis opus quoddam Deo offerret, dicens:

Domine, hoc opus offero tibi per unicum Filium tuum, in virtute Spiritus Sancti, in laudem aeternam,

intellexit mirifice super humanam aestimationem nobilitari et gratum fieri Deo Patri, quidquid taliter offertur. Ad similitudinem sicut viride apparet, quidquid per viride vitrum videtur: sic per omnia acceptissimum est Deo Patri, quidquid per Unigenitum suum offertur. (L. 3, c. 30.)

Ut scias, quam utile sit opera sua Deo commendare, audi, quid Christus aliquando dixerit B. Gertrudi: Omnia opera tua mihi perfectissime placent. Quod cum illa non posset credere, ait: Sicut tu, tenens in manu tua rem aliquam, quam facillime posses et bene scires sic emendare, ut omnibus placeret, hoc nequaquam neglegeres: sic ego ex

Digitized by Google

eo quod habes de more opera tua mihi commendare, ea quasi in manu mea teneo et, cum optime valeam et sciam, certe ex benignitate mea delector omnia opera tua sic emendare, ut mihi possint perfectissime complacere. (L. 4, c. 31.)

Oratio, cum ex ecclesia iturus es.

Ad mentem S. Gert. l. 5. c. 31.

Piissime Iesu, maximas habeo tibi gratias pro omni bono, quod mihi in hac ecclesia contulisti. Et quoniam modo exiturus sum, ideo in unione perfectissimarum orationum tuarum offero tibi omnes orationes et devotiones meas, quas in eadem perfeci: rogans, ut easdem in Corde tuo divino perfectissime nobilitatas una cum omni intentione et devotione, quam umquam cor humanum influxu tuo persensit, Deo Patri pro universis neglegentiis meis in placidissimam emendationem et acceptabilissimum holocaustum offerre digneris, mihique illam sanctam benedictionem, quam apostolis in caelum ascendens dedisti, impertiri; cuius virtute in tua gratia perseverare tibique fideliter servire valeam. Amen.

Digitized by Google

Ad aspersionem aquae benedictae.

Per aspersionem sanguinis tui, Domine Iesu Christe, et per virtutem passionis tuae lava me ab omni macula et munda me ab omni peccato. In nomine Patris.

Orare expansis manibus quam gratum sit Christo.

B. Gertrudis dicebat ad Christum: Eia doce me, doctor optime, unum saltem factum, quod specialiter in memoriam passionis tuae possimus perficere. Cui ille: Hoc ergo accipe, ut orantes expansis manibus formam meae passionis Deo Patri praetendatis, in unione illius amoris, quo ego in cruce manus expandi. (L. 4, c. 16).

PRECES DIURNAE.

Ad sonitum horologii.

Dulcissime Iesu, quidquid hac hora feci, illud commendo divino Cordi tuo emendandum Deoque Patri ad laudem aeternam offerendum. Et quidquid hac sequente hora faciam, illud pure ad laudem Dei et ad salutem universitatis in unione passionis tuae perficiam.

Digitized by Google

Ante laborem.

B. Gertrudem iussit Christus monere quandam personam, ut, quandocumque aliquid agere disponeret, semper tali praeveniret intentione. (L. 3, c. 74).

Domine Iesu, in unione perfectissimorum operum tuorum commendo tibi hoc opus meum, secundum tuam laudabilissimam voluntatem regendum, ad salutem totius universitatis.

Post laborem.

Domine Iesu, in unione perfectissimorum operum tuorum offero tibi hoc opus meum ad emendandum ac Deo Patri digne praesentandum in laudem aeternam. Amen. (Ibid.)

Ante comestionem.

Domine Iesu, hunc cibum suscipio in illo amore, quo tu eundem sanctificasti, cum in tua sanctissima humanitate consimili utereris ad laudem Dei Patris et salutem totius generis humani: orans, ut in unione divini amoris tui cedat in augmentum salutis omnibus caelestibus, terrestribus et purgandis. (L. 4, c. 13.)

Digitized by Google

Sub comestione.

Cum B. Gertrudis comedendo diceret:

Virtus tui divini amoris me totam tibi incorporet, amantissime Iesu,

et inter bibendum:

Effectum vehementissimae caritatis tuae, amantissime Iesu, transfunde et conserva in intimis meis, qui penetrando totam substantiam meam iugiter distillet per omnes sensus corporis et animae ad laudem tuam aeternam:

quaesivit a Domino, qualiter similem devotionem a quibuslibet acceptaret. Respondit: Quoties tali devotione comeditur a quopiam una buccella, ego me fatebor cum illo comedisse ac per hoc ab ipso quasi impotionatum esse. Ideoque affectum praecipui amoris tempore congruo satis dignanter illi manifestabo. (L. 4, c. 23).

Post lapsum in peccatum.

B. Gertrudis dicebat Christo: Doce me, magistrorum optime, quomodo maculas abstergere possim, cum contraxero. Resp.: Numquam per tempus sinas eas durare in te, sed, quam primum te cognoscis maculatam, statim devoto corde dic versum „Miserere mei, Deus“ vel illum:

O unica salus mea, Christe Iesu, da, ut per saluberrimam mortem tuam deleantur omnia delicta mea. Amen. (L. 3, c. 37.)

Digitized by Google

PRECES VESPERTINAE.

Gratiarum actio mire efficax.

Ex S. Gert. l. 2, c. 2. 11.

Ave, salus et illuminatio animae meae, Deus meus. Gratias tibi referat quidquid caeli ambitus terrarumque circuitus et abyssi complectitur profundum, pro universis beneficiis et miserationibus tuis, quae mihi in corpore et anima contulisti. Quorum cum tantus sit numerus, quod nequaquam valeam respondere uno pro mille: hinc id ipsum illi aeternae, immensae et incommutabili gratitudini committo, qua tibi, o fulgida semperque tranquilla Trinitas, ex te ipsa, per te ipsam et in te ipsa omne debitum plene suppletur. Et huic me quasi pulvis exiguus ingerens, per eum, qui in substantia mea tibi assistit, offero tibi laudes et gratiarum actiones, quales dedisti nobis posse per eundem in Spiritu Sancto. Amen.

Hic examina conscientiam et elicita contritione cum intimo suspirio dic cum S. Gert. l. 2, c. 18:

In amaritudine passionis Iesu Christi Filii tui, amantissime Pater, moveo queri-

Digitized by Google

moniam, vehementer me accusans, quod hodie tam infideliter tibi servierim, teque benignissimum Patrem tot et tantis neglegentiis et peccatis offenderim: de quibus ex intimo corde dolens, in spiritu humilitatis et in animo contrito percutio pectus meum dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Et pro universis neglegentiis meis, quibus suavifluum Spiritum tuum in me exstinxi, offero tibi poenas et lacrimas dilecti Filii tui. Et peto in unione efficacissimae orationis eiusdem, in virtute Spiritus Sancti omnium peccatorum meorum emendationem defectuumque meorum suppletionem. Quod mihi praestare digneris per amorem illum, qui te continuit, cum tuae paternae deliciositatis amantissimus Unicus cum sceleratis reputaretur. Amen.

B. Mechtildi dixit Christus (P. 3, c. 18), quod in dies pro suis peccatis ter oraret Ps. „Laudate Dominum, omnes gentes".

Commendatio ad Cor Iesu.

O Cor Iesu dulcissimum, tibi commendo hac nocte cor et corpus meum, ut in te dulciter requiescant. Et quoniam

Digitized by Google

ego iam obdormiturus Deum laudare nequeo, tu illud pro me supplere digneris; ita ut, quot pulsus cor meum hac nocte dederit, tot laudes SS. Trinitati pro me persolvas omnemque halitum, quem spiravero, in te susceptum eidem tamquam vivas amoris scintillas offerre velis. Amen.

Ad B. Virginem etc.

In tuam maternam fidelitatem ac singularem custodiam commendo me hac nocte, o beatissima Virgo Maria, rogans, ut me ab insidiis inimici tuearis. O dilectissime angele custos, o vos ss. patroni mei, hac nocte defendite et incolumem servate me. Et pro me dormiente incessanter Deum meum laudate, mihique vestram benedictionem, quam humiliter peto, conferre dignemini. Amen.

Intentio ante somnum, quam Christus B. Gertrudem docuit.

(L. 4, c. 13.)

Domine Iesu, hunc somnum suscipiam in illo amore, quo tu eundem sanctificasti,

Digitized by Google

cum in tua ss. humanitate consimili utereris ad laudem Dei Patris et salutem totius generis humani: orans, ut in unione divini amoris tui cedat in augmentum salutis omnibus caelestibus, terrestribus et purgandis. Amen.

Decubiturus pollice scribe in fronte tuo has quattuor litteras: I. N. R. I., interim dicens:

Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum, praeservet me a subitanea mala morte.

S. Gertrudis cum noctem quandam totam fere insomnem duxisset, hanc a Christo orationem didicit (l. 3, c. 52):

Per tranquillissimam suavitatem, qua ab aeterno in sinu Dei Patris accubuisti, et per amoenissimam pausationem in utero virginali, qua novem mensibus quievisti, et per iucundissimam delectationem, qua umquam in aliqua amante anima dignatus es deliciari: rogo te, misericordissime Deus, ut non ad meum commodum, sed ad aeternam laudem tuam mihi concedere digneris aliquantam requiem, qua lassata membra corporis usui exercitationis restituantur.

Digitized by Google

PARS SECUNDA.
DE SACRIFICIO MISSAE.

B. Mechtildi dicebat Christus: Dico tibi me ei, qui devote Missam audierit, in extremis pro consolatione et defensione tot nobiles personas de sanctis meis missurum, quot Missas devote audierit (P. 3, c. 19). Et alias dicebat: Nullum tam gravem peccatorem aut hostem suum umquam in Missa praesentem futurum, quem non patienter sufferat eique cum gaudio omnes culpas suas, dummodo id petierit, condonet (P. 3, c. 18). Ideo libenter ad Missam vade hasque preces missales, vere efficacissimas, fac tibi familiares, nisi velis — quod sane melius erit — ipsum textum Missalis Romani sequi.

Oratio in principio Missae.

Omnipotens sempiterne Deus, cum iuxta veram ecclesiae fidem sacrum Missae sacrificium, a Filio tuo institutum, divinae maiestati tuae summum honorem, laudem et beneplacitum pariat, atque per illud solum et unicum condigne coli et honorari pos-

Digitized by Google

sis: ideo ex summo laudis et gloriae tuae desiderio huic praesenti sacrificio summa qua potero devotione interesse atque una cum sacerdote hanc ss. oblationem offerre intendo, sicut et actu offero; non solum hoc, verum et omnia totius mundi sacrificia, quae hodierna die offeruntur: protestans quod, si penes me esset, quod haec offerrentur vel omitterentur, omnes vires meas ad eadem promovenda impenderem. Immo si ex cunctis terrae lapidibus suscitare possem devotissimos sacerdotes, qui omni die summa cum devotione hoc sacrificium laudis tibi offerrent, certe hac hora id ipsum perficerem. Cum autem id penes me non sit, saltem rogo te, sanctissime Pater, per Iesum Christum Filium tuum, ut omnibus et singulis sacerdotibus, maxime iis, qui forte hodierna die tam beneplacitum tibi sacrificium neglegenter oblaturi sunt, spiritum gratiae et devotionis infundas, quo tam tremendum mysterium digne et devote peragere valeant. Mihi quoque et omnibus circumstantibus concedas, ut cum reverentia

Digitized by Google

et devotione huic sacratissimae actioni assistere atque fructus eiusdem participes fieri mereamur. Confiteor tibi Deo omnipotenti et B. Mariae Virgini et omnibus sanctis tam mea quam totius mundi peccata eaque super sacrum hoc altare depono, ut per virtutem huius sacrificii prorsus aboleantur. Quod nobis praestare digneris per amorem illum, qui te continuit, cum dilectissimus Unicus tuus per manus impiorum immolaretur.

Cum Missa ab Introitu usque ad Oblationem semper variet, hinc et tu pro libitu tuo orationes variare poteris.

Ad Offertorium.

Piissime Pater, in unione illius excellentissimae caritatis, qua Unigenitus tuus omnem influxum divinitatis, qui in eius humanitatem descendit, cum plena gratitudine offerens refudit in abyssum originis suae, offero tibi omnia et singula bona, quae ex ineffabili benignitate tua mihi umquam contulisti: eaque in summum gratitudinis affectum una cum meritis et virtutibus eiusdem Filii tui super altari tuo

Digitized by Google

in sempiternae laudis sacrificium immolo. Maxime vero offero tibi cor meum, sed heu nimis sordidum et foetens, illudque sacro huic calici immergo ea intentione et desiderio, ut omnes illae orationes et benedictiones, quae super hunc calicem fient, etiam super cor meum pronuntientur, atque per virtutem istius ineffabilis consecrationis, qua vinum in Filii tui sanguinem convertetur, id ipsum in tui amorem efficaciter convertatur.

Ad haec in unione amoris et gratitudinis illius, qua Filius tuus omnes adversitates suas tibi obtulit, offero tibi super altare tuum, quidquid adversi tam mihi quam ulli hominum e Corde tuo paterno ad salutem nostram misisti: rogans, ut id omne una cum hoc sacrificio in odorem suavitatis suscipias nobisque ad salutem provenire concedas.

Demum in unione resignationis Unigeniti tui offero et resigno me in tuam ss. voluntatem, ex toto corde desiderans, ut per me, in me et circa me tuum in omnibus laudabilissimum bene-

Digitized by Google

placitum semper perficias. Ad quod perficiendum praebeo tibi regi regum Domino totam substantiam corporis et animae meae, ad serviendum tibi pro gloria tuae colendae maiestatis. Amen.

Cum B. Gertrudis sic se Christo obtulisset, ait ad eam: Ego hoc munere tuae bonae voluntatis utar quasi pro regio sceptro et de eo coram omnibus sanctis in perpetuum gloriabor. Et quotiescumque tu mihi hanc intentionem renovaveris, toties idem sceptrum amoenissimis floribus in manu mea efflorebit. (L. 4, c. 27).

Ad „Orate Fratres" dic cum ministro: „Suscipiat".

Ad Secretas.

Respice, pie Pater, de sede maiestatis tuae et de excelso caelorum habitaculo super hanc oblationem, quam per manus sacerdotis huius offert tibi sponsa tua sancta mater ecclesia; et per virtutem eiusdem placare super multimodis transgressionibus nostris. Suscipe, quaeso, eandem, quam ego indignissimus famulus tuus nomine meo et nomine totius universitatis offero tibi, Deo meo vivo et vero, una cum omnibus meritis dilectissimi Filii tui, totoque thesauro sanctae ecclesiae, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negle-

Digitized by Google

gentiis meis, et pro omnibus fidelibus vivis atque defunctis, ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Ad Praefationem.

Cum B. Mechtildis pro quodam oraret, ait Dominus: Ecce huic remitto omnia peccata sua; in quorum satisfactionem, dum in Praefatione dicitur „Per quem maiestatem", laudet me in unione illius laudis, qua veneranda Trinitas invicem se laudat, et dicat unum „Pater noster", quod Deo offerat per me: sicque supplebuntur per me eius neglegentiae. Et si quis alius hoc fecerit, pie credat se eandem gratiam impetrare posse. (P. 4, c. 29.)

Piissime Iesu, adoro, laudo et glorifico te in unione istius supercaelestis laudis, qua reverendissima Trinitas se ipsam laudat et a semet ipsa laudatur: quae deinde effluit in beatissimam Virginem Mariam et in omnes angelos et sanctos, qui gloriosam maiestatem tuam incessabili et incomprehensibili voce laudant, adorant sociaque exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus etc.

Hic in suppletionem neglegentiarum tuarum dic unum „Pater noster", quod offer, ut sequitur:

Digitized by Google

Sanctissime Pater, offero tibi hanc orationem in unione istius laudis, qua caeli et terra omnesque creaturae te laudant et magnificant. Quam suscipere et admittere digneris per Iesum Christum Filium tuum, per quem quidquid tibi offertur, ascendit ad te in summo beneplacito: rogans, ut per eundem Filium tuum omnia peccata mihi remittantur omnesque neglegentiae suppleantur. Amen.

Ad Canonem.

Mecht. P. 2, c. 35. Gert. l. 3, c. 6.

O Deus ineffabilis, iam incipiunt illa tremenda mysteria, quae nec Cherubim nec Seraphim nec omnes virtutes caelorum plene valent comprehendere, cum tibi soli cognitum sit, cum quanta amoris magnitudine te in dies pro salute fidelium Deo Patri super altare in hostiam laudis et placationis offeras. Ideoque haec sacrosancta arcana universi angelorum ordines summa demissione venerantur: et quod videant Regem suum et Dominum, qui olim hominem redempturus summo amore descenderat, nunc iterum pro salute eius-

Digitized by Google

dem hominis ineffabili quodam modo super altare descendere atque sub vilissimis panis et vini speciebus se abdere.

O bone Iesu, tam inaestimabiliter tamque excellenter reverendum est opus istud, quod nunc operaberis, ut parvitas mea nequaquam audeat ad hoc vel respicere. Unde demergens me iacebo in profundissima valle humilitatis, quam potero investigare, exspectans ibidem portionem meam, quia omnibus electis inde salus proveniet. O utinam et millies utinam, piissime Iesu, in hoc opere tuo te adiuvare efficereque possem, ut haec oblatio sacratissima secundum dignitatem suam plenum sortiretur effectum: certe libentissime quantumcumque difficili labore ad hoc inservire vellem. Rogo ergo te, da sacerdoti huic, ut tali dignitate te tractet et offerat, quatenus haec oblatio omnibus fidelibus vivis atque defunctis summe prodesse valeat. Amen.

Ad Elevationem.

Pro adoratione S. Hostiae dic:

Salve, Iesu dulcissime, cum summa humilitate adorans veneror te.

Digitized by Google

Hic ter pectus percutiens dic:

O Iesu, miserere mei! O bone Iesu, parce mihi! O piissime Iesu, propitius esto mihi peccatori!

Oratio ad Patrem.

O amantissime Pater, in unione amoris illius, quo Filius tuus olim in cruce et modo in altari se obtulit, offero tibi eundem pro salute totius ecclesiae. Respice ergo illam virgineam carnem crudeliter flagellatam, colaphis et alapis caesam, sputis maculatam, sanguine cruentatam, spinis perforatam, livoribus tumidam, clavis confixam, lancea perfossam. Illa ergo pietas, quae Filium tuum traxit et vicit, ut se ipsum in cruce immolaret et modo in altari se tibi offerret, ipsa te cogat, Pater, misereri nobis.

Ad adorationem Calicis dic:

Salve, pretiosissime sanguis Domini mei, cum summa devotione adorans veneror te.

Ter pectus percutiens dic:

O sacer sanguis, ablue me! O rosee sanguis, purifica me! O pretiosissime

Digitized by Google

sanguis, clama ad Deum Patrem, ut misereatur nostri!

Post Elevationem.

Sanctissime Pater, cum Unigenitus tuus, iam vere in altari praesens, semet ipsum fecerit sacrificium et victimam pro peccatis nostris: ideo in unione amoris illius, quo ille se ipsum olim in cruce et modo in altari obtulit, offero tibi sanctissimum eius Corpus et Sanguinem, humanitatem et divinitatem, virtutes et perfectiones, passionem et mortem, et in unione horum offero tibi omnes virtutes, merita et gratias B. Virginis Mariae omniumque sanctorum, nec non et omnia bona opera cunctorum hominum totumque thesaurum sanctae ecclesiae. Quibus specialiter addo quidquid ego meique speciales amici umquam boni peregimus aut mali pro gloria tua sustinuimus. Et hanc oblationem una cum hoc et totius orbis sacrificiis offero tibi, o Pater aeterne, per dilectum Filium tuum in virtute Spiritus Sancti, ad tuam supremam laudem et gloriam, in recognitionem

Digitized by Google

tuae supremae maiestatis et dominii, in gratiarum actionem omnium beneficiorum ulli umquam creaturae collatorum, et in plenam abolitionem omnis iniuriae ab ullo umquam tibi irrogatae.

Deinde offero tibi eandem in cultum et venerationem omnium mysteriorum vitae et mortis Domini nostri Iesu Christi et in honorem B. Virginis Mariae omniumque sanctorum, maxime patronorum meorum, et quorum hodie memoria colitur.

Tertio offero tibi eandem pro me misero peccatore et pro omnibus meis spiritualibus et carnalibus amicis (maxime pro NN.) et pro omnibus christianis vivis atque defunctis (maxime pro NN.): rogans, ut illam suscipere digneris in condignam gratiarum actionem pro omnibus bonis in corpore et anima nobis impensis, ad impetrandam omnem gratiam nobis necessariam, ad avertendum omne malum corporale et spirituale, quod saluti nostrae officeret, et demum in perfectissimam remissionem et satisfactionem omnium peccatorum et neglegentiarum nostrarum. Pro quibus offero

Digitized by Google

tibi omne beneplacitum, quod tibi exhibuit, omnemque satisfactionem, quam tibi pro debitis nostris persolvit Iesus Christus Filius tuus, Dominus noster. *Per ipsum et cum ipso et in ipso sit tibi, Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti omnis honor et gloria.* Per omnia saecula saeculorum. Amen.

Hic cum sacerdote ora „Pater noster“ cum seq. oblatione, pro peccatis totius ecclesiae, quo summum Deo beneplacitum exhibebis, ut patet ex S. Gertrude l. 4, c. 19.

Oblatio.

Benignissime Iesu, hanc orationem offero tibi in unione illius perfectissimae intentionis, qua eadem in Corde tuo dulcissimo sanctificata ad nostram salutem est edita, in emendationem omnium commissorum et in suppletionem omnium neglegentiarum, quae umquam ex humana fragilitate, ignorantia et malitia sunt contracta contra tuam insuperabilem omnipotentiam, inscrutabilem sapientiam ac supereffluentiam tuae gratuitae bonitatis. Amen.

Digitized by Google

Ad „Agnus Dei“.

Roga Christum, ut se offerat Deo Patri, sicut ipse se in omni Missa facere B. Mechtildi revelavit. P. 3, c. 19.

Agnus Dei: miserere nobis, et offer te ipsum Deo Patri cum omni humilitate et patientia in satisfactionem debitorum nostrorum.

Agnus Dei: miserere nobis, et offer te ipsum Deo Patri cum omni amaritudine passionis tuae in perfectam reconciliationem.

Agnus Dei: miserere nobis, et offer te ipsum Deo Patri cum omni amore divini Cordis tui in suppletionem omnium bonorum operum, quae nobis desunt. Amen.

Hic, si libuerit, ora quidpiam ex oratione, quae habetur post Missam (p. 35).

Ad „Domine, non sum dignus“.

Humiliter te cum sacerdote inclinans ter percute pectus dicens:

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Digitized by Google

Et pro maiore tui humiliatione addere potes:

Domine, non sum dignus, ut me terra ferat; sed propter temet ipsum remitte mihi peccata mea.

Domine, non sum dignus, ut dicar creatura tua; sed propter amaritudinem passionis tuae condona mihi debita mea.

Domine, non sum dignus, ut sanctum nomen tuum pronuntiem; sed per virtutem huius sacrificii largire mihi gratiam tuam. Amen.

Hic spiritualiter communica, dicens cum S. Gert. l. 4, c. 52 et Mecht. P. 1, c. 5.

O vivifici fontis profluvium, o aromatice sapor divinarum dulcedinum: ecce tibi propino in tui ipsius plenitudine guttulam meae miserabilis indigentiae, qua, licet minus iusto, doleo et semper dolebo, quod ob meam nimiam indignitatem animam meam ab infastidibilibus epulis tuis ieiunam continere debeo. Et nunc, formator et reformator substantiae meae, rogo, ut in hac hora tua omnipotenti sapientia atque dulci pioque Cordis tui amore me praepares, ut digne te in animam meam

Digitized by Google

recipere valeam, tuque in me agere et perficere queas omne id, quod ab aeterno in me agere decrevisti iuxta omne beneplacitum divinae voluntatis tuae. Amen.

Ad quod impetrandum, si tempus ferat, dic unum „Pater noster", sicut Christus B. Mecht. docuit. (P. 1, c. 5.)

Communio.

Ex S. Mecht. ibid.

Laudo te, o amor fortissime; glorifico te, o amor dulcissime; magnifico te, o amor benignissime, in omnibus et pro omnibus bonis, quae gloriosissima tua deitas et beatissima humanitas in nobis operata est et adhuc operabitur ab aeterno in aeternum, per nobilissimum instrumentum divini Cordis tui. Amen.

Postcommunio.

Ecce, Pater caelestis, ad altare tuum misit tibi sancta mater ecclesia hostiam illam superdignissimam, quam tu olim misisti immolandam pro nobis. Illam ergo suscipere digneris in amore illo superexcellenti, quo Filium tuum de regione

Digitized by Google

nostra ad regnum tuum revertentem tibique, Deo Patri, omnem fructum humanitatis suae gloriosaque vulnera carnis suae praesentantem suscepisti. Non recedant, piissime Pater, ab oculis tuis cicatrices eius in perpetuum, ut memineris, quantam ab eo pro peccatis nostris satisfactionem acceperis. Virtute igitur huius oblationis incruentae miserere mei et omnium peccatorum cunctorumque fidelium vivorum ac defunctorum: da illis gratiam et misericordiam, remissionem peccatorum et vitam aeternam. Amen. (P. 4, c. 56.)

Benedictio.

Benedicat me, bone Iesu, tua omnipotentia, instruat me tua sapientia, repleat me tua dulcedo, trahat et uniat me tibi tua bonitas in saecula. Amen. (P. 1, c. 5.)

Ad „Verbum Caro factum est".

Cum devota gratitudine te inclinans dic:

Gratias tibi ago, bone Iesu, quod pro amore mei dignatus es homo fieri.

Digitized by Google

Si quis hoc fecerit, ait Christus, ei dignantissime me reinclino et ex intimo cordis affectu Deo Patri omnem fructum b. humanitatis meae offero, in augmentum beatitudinis hominis illius. (S. Gert. l. 4, c. 3.)

Adoratio SS. Sacramenti.

(Sub Missa aut alias ante venerabile Sacramentum dicenda.)

Salve, nobilissimum corpus et pretiosissime sanguis Domini mei Iesu Christi, sub hac panis specie vere praesens, te adoro tali cultu et devotione, qua novem angelorum chori te venerantur et colunt. Coram te procido in spiritu humilitatis, credens et confitens, quod tu, Dominus meus et Deus meus, vere hic continearis.

Salve, nobilissimum corpus Salvatoris mei Iesu Christi, vera hostia in cruce immolata. Adoro te in unione istius adorationis, qua humanitas tua adoravit divinitatem, et cum affectu totius universitatis ago tibi gratias, quod pro salute nostra hic delitescere dignaris.

Salve, pie Iesu, Verbum Patris, splendor gloriae, fons pietatis, salus mundi, sacra hostia. Salve, Iesu Christe, splendor Patris,

Digitized by Google

princeps pacis, ianua caeli, panis vivus, Virginis partus, vas deitatis.

Credo firmissime, quod tu Deus meus hic praesens sis meque ex hoc Sacramento intuearis atque intima cordis mei perspicias. Credo, quod sub hac panis specie non solum caro et sanguis tuus, verum etiam deitas et humanitas tua contineantur. Quod licet intellegere nequeam, adeo tamen firmiter credo, quod vitam et sanguinem meum pro ea veritate profundere paratus sim.

Coram te, o SS. Sacramentum, cum summa reverentia procido et cum omnibus Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cum Cherubinis et Seraphinis, cumque omni militia caelestis exercitus hymnum gloriae tuae concino, dicens: Centies millies laudetur SS. altaris Sacramentum.

O intima medulla paterni Cordis, gratias tibi ago per mutuam gratitudinem colendae semper et adorandae Trinitatis, pro eo quod hoc inaestimabile Sacramentum instituisti, per quod caeli et terra reconciliantur et

Digitized by Google

immensis gratiarum donis perpetuo replentur.

Glorifico et magnifico sapientem et benignam omnipotentiam tuam, laudo et adoro omnipotentem et benignam sapientiam tuam, benedico et gratias ago omnipotenti et sapienti benignitati tuae, Christe Iesu, quod praevaluisti, scivisti et dignatus es in salutis nostrae subsidium hoc praemagnificum Sacramentum instituere.

O unica et vera fiducia animae meae, Christe Iesu, te laudo, te amo, te colo, te adoro atque humillime deprecor, ut in hac hora te Deo Patri pro nimiis debitis meis offeras, sicut te ipsum in cruce pro totius mundi reatu obtulisti.

O Christe Iesu, dulcis et unicus amor meus, oculis piissimae misericordiae tuae respice me indignissimum, humiliter coram te prostratum atque peccatorum meorum veniam toto corde poscentem.

O flos nobilissime de radice Iesse, per ineffabilem amorem praedulcissimi Cordis tui miserere mei, et recipe me in gratiam tuam, propter gloriam nominis tui.

Digitized by Google

O Pater amantissime, offero tibi hunc dilectum Filium tuum, in perpetuae laudis tuae holocaustum et in propitiationis peccatorum nostrorum iuge sacrificium. Respice, quaeso, in faciem Christi tui et memento illius copiosissimae satisfactionis, quam tibi pro peccatis nostris pendit in cruce, et miserere nostri. Amen.

Digitized by Google

PARS TERTIA.
DE SS. TRINITATE.

Quinque laudis cantica.

Haec quinque cantica, ex Exercitiis S. Gertrudis excerpta, adeo sunt sublimia et divina, ut potius videantur esse beatorum in patria quam viatorum in terra. Poterunt-que esse usui in processionibus sollemnibus et alias, quando Deum laudare volueris.

Canticum primum, trium puerorum in fornace.

Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum: et laudabilis et gloriosus in saecula.

Et benedictum nomen gloriae tuae, quod est sanctum: et laudabile et gloriosum in saecula.

Benedictus es in templo sancto gloriae tuae: et laudabilis et gloriosus in saecula.

Benedictus es super thronum sanctum regni tui: et laudabilis etc.

Digitized by Google

Benedictus es super sceptrum divinitatis tuae: et laudabilis etc.

Benedictus es, qui sedes super Cherubim et intueris abyssos: et laudabilis etc.

Benedictus es, qui ambulas super pennas ventorum et super undas maris: et laudabilis etc.

Benedicant te omnes angeli et sancti tui: et laudent et glorificent te in saecula.

Benedicant te caeli, terra, mare et omnia, quae in iis sunt: et laudent et glorificent te in saecula.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto: et laudabili et glorioso in saecula.

Benedictus es, o Adonai Domine, Pater Domini nostri Iesu Christi: qui fecisti caelum et terram et omnia, quae in iis sunt: et es laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula.

Canticum secundum, in quo sancti Deum laudare rogantur.

Iubilent tibi pro me, o Deus cordis mei, omnes chori angelorum et universae

Digitized by Google

turmae sanctorum: quos tu ab aeterno ad tuam gloriam praeelegisti.

Iubilent tibi pro me septem illi spiritus gloriosi, qui iugiter adstant ante conspectum throni gloriae tuae.

Iubilent tibi pro me infinita ss. angelorum castra, quos mittis in ministerium propter acquisitionis tuae genus electum.

Iubilent tibi viginti quattuor seniores cum omnibus patriarchis et prophetis, qui deponentes coronas suas procidunt ante thronum tuum.

Iubilent tibi sacra quattuor pennata animalia, quorum omnia viscera diu noctuque laudem tuam sunt eructantia.

Iubilet tibi amicissimorum fratrum tuorum apostolica dignitas, quorum suffragiis sanctam ecclesiam tuam mirabiliter sustentas.

Iubilet tibi victoriosa martyrum tuorum turba, quorum stola pretioso sanguine tuo est purpurata.

Iubilet tibi confessorum agmen perfectissimum, quorum spiritum transtulisti in admirabile lumen tuum.

Digitized by Google

Iubilet tibi omnis sancta et immaculata virginitas, quam una tecum ornat tuae niveae puritatis claritas.

Iubilet tibi pro me hoc novum canticum, quod resonat in ore eorum, dum te sequuntur, quocumque ieris, Iesu sponse virginum.

Iubilet tibi pro me omnis electorum tuorum exercitus, peculiaris populus tuus: quia tu es ipsorum Deus, et ipsi populus tuus in saecula.

Iubilent tibi universa mirabilia opera tua, quaecumque caeli et terrae complectitur circumferentia: et laudem dicant tibi illam perpetuam, quae a te exiens in te refluit, suam originem.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Gloria quoque Reginae caelorum cum omni multitudine caelestis hierarchiae in saecula.

Canticum tertium, in quo Deus in B. Virgine laudatur.

Benedicat te, Deus meus, beatissima mater tua virginea, quam in matrem praeeligere dignatus es ante saecula.

Digitized by Google

Benedicat tibi admirabile tabernaculum gloriae tuae, quod solum tibi ministravit digne sancta in habitatione.

Benedicat te s. divinitatis tuae gloria, quae se inclinavit ad virgineae vallis humilia.

Benedicat te artificiosissima divinitatis tuae sapientia, qua indidisti virgineae rosae tantam virtutem et speciem, quam tu ipse potuisti concupiscere.

Benedicat te tua bonitas admirabilis, cuius copiosa effecit gratia, ut omnis vita Mariae fieret tuae dignitati congrua.

Benedicat te amor tuus dulcissimus, cuius virtute tu, virginitatis flos, factus es virginis filius.

Benedicat te splendor vultus gloriae tuae, qui animam Virginis ita decoravit, quod eam ineffabilis Trinitas concupierit.

Benedicat te tua incomprehensibilis sapientia, quae castissimum Virginis spiritum adimplevit cognitione et intellegentia.

Benedicat te tua humilis et mirifica dignatio, quae castissima Mariae ubera contra

Digitized by Google

venenum peccatorum nostrorum sugere dignata est.

Benedicat te supereffluens dulcedo Cordis tui, quae virgineam animam dulcore suavitatis tuae ineffabiliter inebriavit.

Benedicant te suavissima divini oris tui eloquia, quae sancta caritatis flamma incenderunt materni cordis penetralia.

Benedicat te tota virtus divinitatis et tota substantia humanitatis tuae, quae abundantiam caelestium charismatum in cor Mariae effundere dignata est.

Gloria Patri etc. Gloria quoque Reginae etc.

Canticum quartum, in quo humanitas Christi pro nobis Deum laudare inducitur.

Benedicat te pro me, dulcissime Iesu, exinanitio tuae maiestatis, quae nobis acquisivit thesauros aeternae claritatis.

Benedicat te assumptio nostrae humanitatis, quae nos vocavit ad consortium tuae divinitatis.

Digitized by Google

Benedicat te exsilium, quod triginta tribus annis sustinuisti, per quod animas, quae perierant, ad gaudia vitae aeternae reduxisti.

Benedicant te omnes humanitatis tuae angustiae et dolores, per quos sanctificasti omnes nostras pressuras et labores.

Benedicat te experientia nostrae miseriae, per quam factus es nobis pater multae misericordiae.

Benedicant te omnes guttae tui pretiosissimi sanguinis, quibus nos emundasti a peccatorum nostrorum maculis.

Benedicant te pretiosissima quinque vulnerum tuorum monilia, quibus coemisti nobis aeternae hereditatis tabernacula.

Benedicat te amaritudo tuae pretiosae mortis, quam tibi pro nobis intulit amor fortis.

Benedicat tibi tuum mellifluum deificatum Cor, quod in morte tua tam vehemens rupit amor et dolor.

Benedicat tibi humanitatis tuae caro mundissima, in qua factus es frater noster fidelissimus.

Digitized by Google

Benedicat te pro me tua triumphalis gloria, per quam in carne nostra ad dexteram Patris sedes in saecula.

Benedicat te pro me tui ipsius claritas, honor et virtus, qua mirabiliter repletur et pascitur omnis caelestis exercitus.

Gloria Patri etc. Gloria quoque Reginae etc.

Canticum quintum, in quo Deus in se ipso laudatur.

Benedicat te pro me gloriosum et admirabile lumen tuum, Deus meus: et laudet te praestantissimae maiestatis tuae imperiale decus.

Benedicat te immensae gloriae tuae dignissimus apparatus: et laudet te infinitae potentiae tuae praeclarissima virtus.

Benedicat te aeternae claritatis tuae principale iubar: et laudet te praefulgidi decoris tui rutilans amoenitas.

Benedicat te iustorum iudiciorum tuorum abyssus: et laudet te aeternae sapientiae tuae inscrutabilis circuitus.

Digitized by Google

Benedicat te multarum miserationum tuarum infinitus numerus: et laudet te omnium misericordiarum tuarum immensum pondus.

Benedicant te omnia pietatis tuae viscera: et laudet te infinitae bonitatis tuae superabundans copia.

Benedicat tibi tua nimis magna, quam erga homines habes, caritas: et laudet te tui benignissimi amoris incontinentissima liberalitas.

Benedicat tibi tuae supereffluentis dulcedinis triumphalis fortitudo: et laudet te totius beatitudinis, quae in te caris tuis manet, plenitudo.

Benedicat tibi tuae dignitatis sublimitas: et laudet te tuae perpetuae invariabilitatis aeternitas.

Benedicat tibi pro me tuae imperialis Trinitatis divinitas, essentialis unitas et personalis proprietas: et laudet te tua dulcis societas, mutua familiaritas gloriosaque atque perfecta felicitas.

Gloria Patri etc. Gloria quoque Reginae etc.

Digitized by Google

Oblatio harum laudum.

Suscipe, sancta Trinitas, vota labiorum meorum, quae mihi aestuans amor cordis mei ad magnificandam magnificentiam tuam suggessit. Offero tibi haec ipsa in unione istius ineffabilis laudis, quam in tua trina deitate una persona alteri incomprehensibili modo persolvit. Et in quantum possum, iacto et ego granum cordis mei vilissimum in divini Cordis tui aureum thuribulum (in quo ad laudem tuam iugiter concrematur aeterni amoris thymiama suavissimum), concupiscens et desiderans, ut et illud meum vile et indignum, per tui spiritus afflatum vehementer accensum, transeat in tuae laudis cremium: et illa longa, quae de abyssis terrae post te traho, suspiria pro diuturna exspectatione mea tibi sint laus perennis et gloria. Amen.

Laudis divinae iubilatio vere altissima.

O inattingibilis altitudo praevalentiae admirabilis. O profundita abyssi sapientiae inscrutabilis. O immensa latitudo cari-

Digitized by Google

tatis desiderabilis! Nemo te digne laudare potest nisi tu ipse, qui solus agnoscis tuam infinitam magnificentiam scisque modum, quo digne laudari possis. Laudet ergo te pro me, Domine Deus meus, tua aeterna deitas, immensa maiestas et infinita bonitas. Laudet te, Domine Deus meus, pro me tua altissima sapientia, tua latissima misericordia, tua profundissima iustitia. Laudet et benedicat te pro me tua incircumscripta magnitudo, tua suavissima dulcedo et tua piissima benignitas. Omnia nomina, omnia verba omnesque significationes, quae de te dici et concipi possunt, illa tibi benedicant, tibi iubilent teque exaltent pro me tibique gratias agant pro omni bono, quod mihi omnibusque creaturis contulisti et in aeternum offerre intendis.

Tibi, Domine Deus meus, iubilet et benedicat reverendissima humanitas Iesu Christi, sanctissima eius vita et conversatio, divinissimae eius virtutes et gratiae, pretiosissimus eius sanguis et lacrimae, dirissima eius vulnera et livores, amaris-

Digitized by Google

sima eius passio et mors; haec tibi pro me suppleant teque digne glorificent.

Te, Deus Creator meus, magnificet et exaltet serenissima caelorum Regina, castissima Virgo Maria, et cum ea illa decies centena milia beatorum spirituum agmina, una cum universo innumerabilium sanctorum tuorum exercitu: illi tibi pro me hymnum dicant et psallant in saecula.

Tibi, Domine Deus meus, cantet et iubilet sanctissima mater ecclesia, te laudent sacratissima septem sacramenta, te honorent reverendissimae caerimoniae ritusque ecclesiastici: omnes psalmi et preces, omnes eius virtutes et sanctificationes, omnes eius affectus et amores, omnia eius vota et desideria, quibus ad te gemit in hac lacrimarum valle.

Tibi laudes et grates persolvant omnia, quae mihi gratis contulisti, gratiarum tuarum dona; tibi benedicant omnes corporis et animae meae vires; tibi iubilent omnes nervi et arteriae meae, omnia ossa et carnes meae, omnia desideria et gemitus mei, omnis intellectus, memoria et voluntas

Digitized by Google

mea, et demum tota medulla cordis mei cum pulsu et motibus suis: quae omnia tibi offero et resigno, deprecans, ut me totum in tui laudem et gloriam convertas in tempore et in aeternitate. Amen.

Tres incomparabiles laudes, quas Christus B. Mechtildem docuit.

(P. 1, c. 19.)

Veneror et glorifico te, o B. Trinitas, in unione istius ineffabilis gloriae, qua Deus Pater in sua omnipotentia Filium et Spiritum Sanctum veneratur per saecula.

Magnifico et benedico te, o B. Trinitas, in unione istius reverendissimae gloriae, qua Deus Filius in sua inscrutabili sapientia Patrem et Spiritum Sanctum glorificat per saecula.

Adoro et exalto te, o B. Trinitas, in unione istius superdignissimae gloriae, qua Spiritus Sanctus in sua invariabili bonitate Patrem et Filium superexaltat per saecula. Amen.

Digitized by Google

Laus efficacissima.

Ex Exercit. S. Gert.

Tota efficacia et virtus divinitatis tuae laudet te pro me, Iesu piissime. Tota amicitia et affectus humanitatis tuae satisfaciat tibi pro me. Tota magnificentia et maiestas imperialis Trinitatis glorificet, magnificet et honorificet te ipsum in te ipso pro me illa laude altissima, qua tu ipse solus tibi sufficis et omnium creaturarum defectum tibimet ipsi supplens in te perficis. Amen.

Modus efficacissime Deum laudandi et amandi.

Cum B. Mechtildis (P. 4, c. 23) anxiaretur, quod Deum non sufficienter coleret nec amaret, ait Christus ad eam: Cum me desideras laudare nec id pro tuo desiderio perficere potes, dic:

O bone Iesu, laudo te: et quod mihi in tua laude deficit, digneris supplere pro me.

Et si vis me amare, dic:

O bone Iesu, amo te: et quod mihi in tuo amore deficit, digneris supplere pro me Deoque Patri amorem Cordis tui offerre pro me.

Digitized by Google

Et alias dixit ad eam: Si me digne vis laudare, tunc dic haec quinque verba:

Gloria tibi, dulcissima, nobilissima, fulgida, tranquilla et ineffabilis Trinitas. (P. 3, c. 3.)

Gratulatio mire sublimis Deoque grata.

Deus gloriosissime, ego servorum tuorum minimus gratulor tibi et toto cordis affectu volo et consentio, quod sis aeternumque permaneas talis ac tantus Deus, qui in tua deitate et essentia es aeternumque eris. Gaudeo et congratulor tibi de tua infinita potentia ac maiestate. Gaudeo et gratias ago tibi propter magnam gloriam et ineffabilem excellentiam tuam. Gaudeo ac toto corde exsulto, quod in ditione tua cuncta sint posita, et non sit qui tuae possit resistere voluntati. Et in summam gratulationem et gratitudinem, quod tu sis ille tantus tamque ineffabilis Deus, offero tibi per Cor Iesu dulcissimum, nomine meo omniumque creaturarum, tuam divinam infinitamque essentiam cum omnibus perfectionibus, attributis et proprietatibus, quas in eadem complecteris, tali modo et

Digitized by Google

affectu, quali dedisti nobis posse per Filium tuum in Spiritu Sancto. Opto quoque et desidero, ut omnes creaturae, quae sunt in caelo et in terra, te agnoscant, te diligant tibique de tua immensa gloria et beatitudine congratulentur, quas omnes in spiritu coram te sisto tibique subicio, eorumque nomine tibi congratulor. Et quoniam id omne longe minus est, hinc rogo, ut tu meum omniumque creaturarum officium in amando congratulandoque tibi per te ipsum supplere digneris. Et hunc ipsum splendorem floremque caritatis et gratulationis, una cum omni gloria, laude et gratulatione, quam unanimi consensu omnes beati spiritus omnesque iusti tibi deferunt, offero tibi in gratiarum actionem pro omni gloria et beatitudine, qua frueris in perpetuum. Amen.

Gratiarum actio, qua vix invenies sublimiorem.

Ex Exercit. S. Gert.

Gratias bonitati tuae, Deus, gratias pietati tuae, vera et una divinitas, sancta et

Digitized by Google

una unitas, una et summa deitas, pro omnibus beneficiis et miserationibus tuis, quibus incontinentissima pietas tua tam indebite circumvenit me. Pro quibus, o dulcissime Deus, in unione illius supercaelestis laudis, qua tu, o gloriosa Trinitas, sola tui ipsius perfecta laus es, quae deinde manat in benedictam humanitatem Domini nostri Iesu Christi, atque in eius gloriosam matrem, et in omnes angelos et sanctos, et iterum refluit ab iis in abyssum divinitatis tuae, unde fluxerat, adoro, laudo et benedico te, Domine Deus meus, gratias agens pro amore, quo creasti, redemisti, sanctificasti, vocasti, conservasti et omnibus bonis dotasti me. Quoniam vero non est speciosa laus in ore peccatoris, ideo rogo te, dulcissime Iesu, ut tu ipse in illo praevalenti amore, in quo ad dexteram Patris resides, persolvas pro me Deo meo, pro omnibus bonis, quae ex inexhausta ipsius deitatis abysso in me effluxerunt, laudes aeternas, immensas et incommutabiles, quales tu in te ipso praevales et scis congruere reverendissimae gloriae et honori

Digitized by Google

maiestatis eius, prorumpens pro me, mi Iesu care, in vocem talis ac tantae gratiarum actionis, qualis te decet, Domine mi valde magne et mirabilis, laudans eam in te et in me et pro me, in tota virtute divinitatis et in toto affectu tuae humanitatis, ex parte et affectu totius universitatis. Amen.

Professio beneficiorum Dei.

Cum B. Gertrudis hanc professionem fecisset, Filius Dei amicissime complectens et deosculans eam dixit: Ego post hanc professionem tuam suscipiam te in specialem curam meam super omnem creaturam. Hinc intellexit, quod, quando aliquis similiter profitetur, cum gratitudine se providentiae divinae committens, tunc Dominus in specialem curam suscipit eum. (L. 3, c. 71.)

Gratias tibi ago, sancte Pater, utcumque praevaleo, per eum, qui sedet ad dexteram tuam, quod tam praemagnifica dona a tua largitate accepi, quod certo recognosco nullam umquam potentiam hoc praevaluisse nisi solummodo tuam divinam potentiam, quae omnia creata sua vegetat virtute.

Gratias tibi ago, benignissime Iesu, et fateor atque fatebor, quousque spiritum trahere valeo, quod tam in corpore quam

Digitized by Google

in anima et in omnibus tam prosperis quam adversis ita congruentissimo modo mihi providisti, quod hoc nulla umquam sapientia ab initio saeculi usque ad finem praevaluisset nisi tua sola sapientia increata, dulcissime Deus, attingens a fine usque ad finem, fortiter et suaviter disponens omnia.

Gratias ago tibi, Spiritus alme Paraclite, per eum, qui te cooperante incarnatus es in utero virginali, quod ita suaviter int benedictionibus tuae gratuitae dulcedinis in omnibus me indignum praevenisti, quod certus sum nullam hoc umquam benignitatem perfecisse nisi solummodo tuam ineffabilem dulcedinem, in qua latet, a qua procedit et cum qua simul accipitur omne bonum. Et sicut hucusque mihi semper providisti, sic id ipsum deinceps de divina tua bonitate, cui me devotissime committo, confido atque praesumo. Amen.

Professio fidei.

O prima et summa veritas, Deus meus, ego N. N. corde credo, ore confiteor et

Digitized by Google

opere protestor, quod omnes et singulos fidei articulos, quos sancta romana ecclesia nobis credendos proponit, firmissime credam et usque in finem credere velim. Et licet comprehendere nequeam, quinam omnia illa, quae fides tradit, sint possibilia; attamen captivans intellectum meum in obsequium Christi, omnia illa sacrosancta mysteria summa demissione veneror mihique ea in salutem provenire deposco. Et sicut hanc fidem modo profiteor, sic et in eadem me vivere et mori velle coram omnibus angelis et sanctis, maxime coram te, o Sanctissima Trinitas, voveo, iuro et promitto: sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei evangelia. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

Hic commenda Deo fidem tuam, ut sequitur: quicumque enim hoc fecerit (aiebat Christus B. Mecht., P. 3, c. 33), impetrabit hanc gratiam, ut in fine vitae suae numquam in vera fide tentetur.

Hanc ergo fidem meam commendo omnipotentiae tuae, o Pater aeterne, rogans, ut per divinam virtutem tuam me in eadem adeo confirmes, ut ab ea numquam de-

Digitized by Google

ficiam. Commendo etiam eandem investigabili sapientiae tuae, o Fili unigenite, rogans, ut me lumine intellegentiae tuae ita illumines, ne umquam per spiritum erroris valeam perverti. Commendo quoque eandem piissimae bonitati tuae, o Spiritus Paraclite, rogans, ut illa ipsa per caritatem omnia ita in me operetur, ut in hora mortis meae integra et perfecta in me inveniatur.

Fiducia in Deum.

B. Mechtildi dicebat Christus: In veritate dico tibi mihi valde placere, quod homines fiducialiter magna de me sperent. Est enim impossibile hominem non accipere ea, quae credidit et speravit. Ideo bonum est homini de me magna sperare mihique sincere fidere. (P. 3, c. 5. Similia vide in S. Gert. l. 3, c. 7.)

O Deus cordis mei, unica spes et refugium meum, ego pauperculus, licet omni bono millies indignus, attamen de tua benignitate tam firmiter confido, quod nequaquam dubitem te mihi in omnibus posse, scire et velle fideliter adesse. Scio quidem, piissime Deus, quod, si secundum merita mea mihi facere velles, non solum

Digitized by Google

a te nullam gratiam exspectarem, sed mille et mille supplicia; attamen cum sciam tam exuberantem esse bonitatem tuam, quod etiam pessimis tuis inimicis benefacere soleas; hinc et ego firmissime credo atque confido, quod me in miseriis meis non sis derelicturus, sed in omnibus mihi taliter provisurus, qualiter a meo maximo amico nequaquam haberem sperare.

O amabilissime Deus, licet peccata mea adeo gravia et multiplicia sint, quod mille inferni iis non correspondeant: attamen in consideratione infinitae bonitatis tuae tam secure a te (dummodo mihi displiceant, sicut vere displicent) eorum remissionem exspecto, ut potius dubitarim an sim, quam dubitarim an mihi ea sis remissurus. O infinita bonitas, tam piam de te habeo fiduciam, ut, licet millies plus peccassem, quam feci, sciremque certo te gravissime mihi iratum, attamen, licet penes me esset eligere mihi iudicem, nullum tamen alium quam te eligerem. Tibi, inquam, et nulli alteri fiderem certiusque a te misericordiam exspectarem quam ab optimo meo amico.

Digitized by Google

Etenim si toties tamque graviter contra aliquem amicorum meorum, sicut contra te, peccassem, certissimus essem, quod mihi non ignosceret, licet carissima mater mea esset. Si enim ei ita rebellis et iniurius fuissem, ac tibi, vel millies me abiecisset et exsecrata fuisset. Tu vero, post tot tamque graves acceptas iniurias, post tot tamque graves in tuo servitio commissas neglegentias, foves me nihilominus ac nutris.

De consequenda vero beatitudine putasne, piissime Pater, me vel in minimo diffidere? Absit. Non enim meis meritis, sed Unigeniti tui fideli promissione eiusque copiosissimis meritis, quae fidelibus suis donavit, eandem me assecuturum spero. Et hinc tanto iubilo et consolatione afficior, ut videar mihi iam possidere bonum, quod desidero. Filius enim tuus, qui mihi salutem promisit meritaque sua, quibus illam coemam, donavit, fidelissimus est nec verbum, quod de ore suo egressum est, revocabit. Hanc igitur fiduciam, o Pater aeterne, quam pietati tuae committo, in me conservare digneris, donec nos iungat

Digitized by Google

aeterna perennitas, et ipsa boni fruitio spem id ipsum consequendi depellat. Amen.

Amor Dei.

B. Gertrudi hoc revelatum fuit (l. 3, c. 30): Cum una amans anima toto corde convertitur ad Dominum cum integra voluntate (si id valeret) libentissime persolvendi Deo omne damnum honoris a quocumque ipsi illatum, et sic inter orandum facibus amoris inardescens blanditur Deo: in tantum ipsum placat, ut quandoque reconciliatus parcat toti mundo, quoniam plus apud Deum praevalet vivis et defunctis salutem impetrare una amans anima quam non amantium milia duodena. (Cf. l. 4, c. 53.)

O amabilissime Deus, o summum et infinitum bonum meum, amo et aeternum amabo te; te toto cordis ac mentis affectu complector, te fortissimis dilectionis bracchiis constringo; tu enim es dulcissimum et desideratissimum bonum meum, tu perennis suavitas et dulcedo mea, tu tota sufficientia spiritus mei. O suavissime, dulcissime, amabilissime Deus, tu vita animae meae, tu iubilus cordis mei, Deus meus, amor meus, dilecte votorum meorum. Amo te, dulcedo mea, iucunditas mea, deliciae meae; amo te, quantum possum et quantum valeo, sed non quantum debeo. Utinam te millies plus amarem, utinam infinito amore te amare

Digitized by Google

possem. Transfige, dulcissime Deus, cor meum amoris tui sagitta et saucia illud suavissimo dilectionis vulnere. Da mihi, Domine, ut amem te, quia non possum te amare sine te. O si omnia creata corda omniumque cordium affectus et amores in meum cor immergere et includere possem, quam vellem te amare, dulcis amor meus! O mihi si dares vel ad horam ardentissimum illum Seraphinorum amorem, ut illo vehementissimo amoris igne succensus omnes homines in tuo amore accendere possem! Et heu quam doleo, quod tu, dulcis amor meus, non ameris! Eheu quam doleo, quod tu, dulcis amor meus, ita despiciaris et contemnaris et insuper tam dure offendaris et iniurieris! Compatior tibi, Deus meus, amor meus, super omni contumelia et iniuria, quae tibi irrogatur, et si praevalerem, libentissime tibi persolverem omne damnum, in quo est detrimentum honoris tui: quia omnem cruciatum desideriorum, quem umquam humanum cor ab initio mundi usque in finem est perpessum in amore tuo, libentissime con-

Digitized by Google

tinere vellem in me etiam usque ad diem mortis meae, ut eo dignius acceptaculum tibi in anima mea exhiberem, et insuper emendarem tibi, quod tam inaestimabiliter excellens dignitas gratiae tuae toties tamque graviter ab ingratis vilipenditur et conculcatur. Amen. (S. Gert. l. 4, c. 52.)

Desideria amantis animae.

Qui habet integram voluntatem, aiebat Christus B. Gertrudi (l. 4, c. 17), quod libentissime super omnem creaturam me vellet laudare et amare, ille indubitanter a divina liberalitate mea remunerabitur quandoque copiosius, quam umquam ullus hominum opere posset obtinuisse.

Deus cordis mei, diligo te ex toto corde meo, et utinam millies amplius te diligere possem! O utinam et millies utinam te super omnem creaturam laudare, amare, tibi gratias agere, condolere et in omni virtute me perfectissimo modo exercere possem, id ex integra voluntate mea libentissime facerem, iuxta divini Cordis tui summum beneplacitum.

O dulcis amor meus, si possem tibi, Domino Deo meo, adducere omnes homines, cum quibus dignaris delicias tuas habere,

Digitized by Google

ob hoc a die isto usque in diem iudicii libentissime vellem nudis pedibus circuire totum mundum et quemlibet eorum, in quibus tu, dulcor animae meae, habitando dignaris delectari, ulnis meis gestando tibi praesentare: ut vel sic desiderio infinito dulcedinis tui divini amoris aliqualiter satisfacere possem. Insuper, si possibile esset, cor meum in tot partes dividere vellem, quot homines vivunt, ut ex eo cuilibet eorum partiri possem bonam voluntatem ad obsequendum tibi secundum tui divini Cordis summum oblectamentum. (L. 4, c. 21.)

O amabilissime Deus, nihil quidem habeo quod possit tuam dignitatem condecere: sed tamen illam voluntatem habeo, quod, si ego haberem omnia, quae tu habes, omnibus vellem abdicare et tam liberaliter omnia tibi dare, ut tu posses dare, cuicumque velles.

Quod cum B. Gertrudis diceret, respondit Christus: Si tu hoc invenis in corde tuo, quod sic velles mihi facere: certissime scire debes, quod similiter tibi volo facere, et tantum supra hoc, quantum pietas mea et amor meus praeponderat tuo. (L. 4, c. 26.)

Digitized by Google

Holocaustum.

Cum B. Gertrudis simile holocaustum Deo obtulisset, apparuit Dominus Iesus ipsam oblationem in similitudine cuiusdam dignissimi xenii B. Trinitati repraesentans, cumque per medium caeli transiret, tota caelestis militia ob reverentiam istius oblationis visa est genua flectere. Unde intellexit, quod, quando aliquis Deo offert orationes suas seu alia studia, haec tota caeli curia extollit tamquam grata Deo xenia: cum vero aliquis merita Christi suis addit, hoc sancti eo modo, ut praedictum est, venerantur. (L. 4, c. 6.)

O Deus illustrissime, Dominator caeli et terrae, ego indignissima creatura tua offero tibi super sacratissimo altari dulcissimi Cordis Iesu Christi me ipsum totum, cum omnibus quae sum et possum, una cum omni bono, quod ex abyssali supereffluentia tua mihi umquam contulisti. Et insuper offero tibi omnes thesauros et divitias huius saeculi, omnes monarchias, regna, principatus, honores et dignitates, tali animo, quod, si haec omnia haberem, vellem ea distribuere pauperibus inque pios usus impendere, ego vero amore tui in tali paupertate, quali modo sum, lubens permanere.

Deinde super eodem altari offero tibi omnes virtutes, devotiones, merita et sancti-

Digitized by Google

tatem omnium iustorum; omnem afflictionem, crucem, indigentiam et paupertatem omnium pauperum, afflictorum et infirmorum; omnes poenas, cruciatus, vulnera, effusiones sanguinis et mortes omnium martyrum; omnem paenitentiam, mortificationem, ieiunia, vigilias et austeritates omnium confessorum; omnem amorem, continentiam et puritatem omnium virginum: et haec omnia offero tibi tali intentione et affectu, quasi haec omnia mea essent egoque ad laudem tuam purissima intentione ea fecissem.

Tertio offero tibi integram plenitudinem gratiae et gloriae, qua sanctos tuos in caelo, maxime vero superdignissimam Virginem Mariam, Unigeniti tui matrem, tam abunde cumulasti, ut nullus humanus intellectus hoc plene capere sufficiat. Super omnia autem offero tibi virtutes et merita, quae Filius tuus operatus est in terris, et omnia gratiarum tuarum dona, quae ex supereffluentissimo SS. Trinitatis gazophylacio deprompta sacratissimae humanitati eius contulisti. Pro quibus omnibus, per orga-

Digitized by Google

num illud dulcisonum, scilicet deificatum Cor Filii tui in virtute Spiritus Paracleti ea resonans, decanto tibi laudes et gratiarum actiones ex parte omnium caelestium, terrestrium et infernorum, tibique quod tuum est reddo.

Demum offero tibi inaestimabilem et immensam divitiarum et perfectionum abundantiam, quam divina tua essentia in se complectitur unaque persona alteri dulcissimo et ineffabili modo communicat. Super quo omni possibili affectu tibi gratias ago, atque congratulor, quod in te ipso, pro te ipso tam immensos deliciarum thesauros contineas eosque electis tuis in aeternum communices. Ergo Rex in aeternum vive illoque bono, quod tu ipse es, aeternum fruere, nobisque miseris in hac lacrimarum valle degentibus interdum aliquas micas de divite mensa tua largire. Amen.

Resignatio.

B. Gertrudi revelatum est illos, qui se totos divinae voluntati conforment et subdant, super omnia desiderantes, ut laudabilissima voluntas Dei circa se plenissime perficiatur tam in corporalibus quam in spiritualibus, Cor divinum

Digitized by Google

medullitus erga se commovere ac suo tempore effusissimam divinae suavitatis largitatem experituros. (L. 3, c. 30.)

Sanctissime Pater, ecce ego vilis et paupercula creatura tua, propriae voluntati meae prorsus abrenuntians, offero et resigno me tuae sanctissimae voluntati et beneplacito, prae omnibus deliciis huius mundi optans et desiderans, ut laudabilissima placidissimaque voluntas tua in me, per me et circa me tam in corporalibus quam in spiritualibus, in tempore et aeternitate plenissime semper perficiatur. Et ad hoc perficiendum quodlibet membrorum meorum singillatim cuilibet poenae exponere paratissimus invenirer.

Si mihi optionem dares, o mi Deus, petendi quodcumque vellem, et sancte mihi iurares, quod petitioni meae per omnia annuere velles, nihil aliud peterem nec desiderarem, nisi ut laudabilissima voluntas tua secundum optimum beneplacitum tuum tam in me quam in omni creatura tua perficeretur. In unione igitur resignationis illius, qua Christus in monte Oliveti se tuae voluntati integre commisit, ipsius

Digitized by Google

affectu et intentione, ipsius corde et ore dico: Non mea, sed tua voluntas fiat, Pater sanctissime, in tempore et aeternitate. Amen.

Si tibi aliqua adversitas immineat, adde sequentia verba Deo vere gratissima; sicut B. Gertrudis intellexit, quod, quando quis offert integram voluntatem suam ad omne beneplacitum Dei, quantumvis etiam sciat sibi adversitates imminere, hoc Dominus tali modo acceptat, quasi homo ille tempore passionis eius omnibus vulneribus suis lenissima adhibuisset emplastra. (L. 3, c. 64.)

Maxime autem resigno et offero me tibi, bone Iesu, paratum ad perferendam adversitatem illam mihi imminentem, quam integra voluntate de manu tua acceptabo atque cum omni qua potero patientia sustinebo, in unione amoris illius, quo tu singulas adversitates de manu Patris tui suscepisti easdemque cum summa gratitudine reobtulisti: rogans, ut mihi vires et patientiam concedas, quo eandem viriliter perferre valeam, ad laudem tuam aeternam et totius universitatis salutem. Amen.

Digitized by Google

PARS QUARTA.
ORATIONES AD CHRISTUM.

Corolla gemmea,

ex tribus aureis et quindecim argenteis gemmis compilata.

Dum B. Gertrudis offerret similes salutatiunculas in honorem Nominis Iesu perlectas, apparuerunt eadem in specie rosarum, et de qualibet rosa pendebat aureum tintinnabulum mirae sonoritatis, quod sine intermissione movebat Cor divinum ineffabili delectatione (l. 4, c. 5). Et illae oratiunculae, quae cum devota intentione lectae erant, suavissimos Domino reddebant concentus; illae vero, quae incurate lectae erant, maestiores et submissiores voces personabant (l. 4, c. 35). Et ait illi Dominus: Cum aliquis me alloquens dicit, Dulcissime Domine etc., dulcedo divinitatis meae in se ipsa commota, fragrantiam mirae delectationis mihi aspirat et in illum, qui ea verba pronuntiat, odorem salutis aeternae profundit (l. 4, c. 1).

Prima gemma aurea.

Ave, vivificans gemma divinae nobilitatis. Ave, immarcescibilis flos humanae

Digitized by Google

dignitatis, Iesu amantissime, tu mea summa et unica salus. Tu creator, redemptor et amator meus, qui per angustias mortis relicta omni beatitudine tua acquisivisti me. Amen. (S. Gert. l. 4, c. 22.)

Sequuntur quinque gemmae argenteae.

1. Ave, Iesu dulcissime, sanctissimae Trinitatis gemma pretiosissima, cuius pretio totus mundus redemptus est.

2. Ave, Iesu benignissime, refulgens splendor paternae gloriae, qui electos tuos in patria claritate vultus tui illuminas et recreas.

3. Ave, Iesu amabilissime, clarissimum iubar de sole iustitiae, qui igne caritatis tuae angelorum sanctorumque accendis animas.

4. Ave, Iesu nobilissime, viva imago paternae substantiae, qui omnes tibi adhaerentes participes tuae divinitatis efficis.

5. Ave, Iesu illustrissime, stella matutina tuae ecclesiae, qui illuminas mundi tenebras et omnium peccatorum caliginem. Amen.

Digitized by Google

Secunda gemma aurea.

Ave, Iesu, sponse floride, cum delectamento divinitatis tuae ex affectu totius universitatis salutans amplector te et in vulnus amoris deosculor te. Amen. (S. Gert. l. 3, c. 47.)

Sequuntur quinque gemmae argenteae.

1. Ave, Iesu pulcherrime, clarissima gemma, nata in mari divinitatis paternae, cuius originem nullus intellectus creatus potest indagare.

2. Ave, Iesu mellitissime, caeleste manna dulcedinis mirificae, reficiens et satians omnem esurientem animam.

3. Ave, Iesu splendidissime, urens ignis caritatis increatae, allevians et auferens labores huius miseriae.

4. Ave, Iesu suavissime, dulcis vena supercaelestis aquae, auferens amaritudinem angustiatae animae.

5. Ave, Iesu inaestimabilissime, triclinium thesaurorum divinae essentiae, ditans pauperiem nostrae miseriae. Amen.

Digitized by Google

Tertia gemma aurea.

Ave, Iesu, gratia plene, misericordia tecum, benedictus tu inter filios hominum, et benedictum sit sanctissimum nomen, vita et passio tua. Dulcis Iesu, Fili Dei, miserere nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Sequuntur quinque gemmae argenteae.

1. Ave, Iesu, sponse et corona virginum. Te, quem amor fecit Virginis Filium, laudamus in perpetuum. (Mecht. P. 1, c. 12).

2. Ave, Iesu, Dominator omnium, speciosus forma prae filiis hominum, te agnoscimus et veneramur nostrum clementissimum Dominum.

3. Ave, Iesu, iubar mirificum, divinitatis summum miraculum, delens omne mundi piaculum.

4. Ave, Iesu, nostrum solacium, divitiarum Dei patens gazophylacium, pauperum verum refugium et afflictorum refrigerium.

5. Ave, Iesu, decus angelicum, fons vivus, lumen mentium, excedens omne gaudium et omne desiderium. Amen.

Digitized by Google

Oblatio huius corollae.

O bone Iesu, amor, gaudium et dulcedo mea, te solum diligit anima mea, te concupiscit et desiderat spiritus meus. Tu enim es sole speciosior, luna pulchrior, aurora rutilantior, stellis praeclarior. Tu candidior liliis, rubicundior rosis, vegetior hyacinthis, suaveolentior chariophilis. Tu es omni dulcore dulcior, omni amplexu gratior, omni sapore suavior, omni amore carior. Tu solus magnus et laudabilis, tu solus dulcis et amabilis, tu solus pulcher et amoenus, tu solus speciosus et deliciis plenus, tu solus talis ac tantus, qualis in omni caeli et terrae gloria non invenitur aequalis. Tibi igitur in signum amantis animi mei hanc corollam gemmeam offero et praesento, in unione oblationis illius, qua omnis caeli curia super altare aureum divini Cordis tui immolat tibi laudis tuae aeternum melos. Eia ergo, cordis mei amor verus, cum haec laus mea sterilis nec in minimo sit tibi aequalis, tu tibimet ipsi pro me persolve tam sollemne laudis tuae decus, cui coniubilet omnis ordo caelicus, pro illo

Digitized by Google

permaximo et dulcissimo bono, quod tu ipse mihi es Deus meus, et quod a me, omnium creaturarum tuarum peripsemate, dignaris agnosci, amari et laudari. Amen.

Blanditiae Iesu.

Oratio haec efficaci impetuositate infusa est B. Gertrudi, ad quam dixit Dominus: Quicumque illam devote recitaverit, cognitionis meae gratiam in eo augebo, et recipiet in se splendorem divinitatis meae, quem diriget in se per efficaciam praedictorum verborum, sicut, qui purum aurum tenens contra radiantem solem, in eo quod est auro oppositum, videt lucis refulgorem. (L. 3, c. 66.)

O Rex regum excellentissime princepsque illustrissime, Iesu amantissime. Tu animae meae vita, tecum sit affectio cordis mei unita, vi amatorii ardoris conflata. In omni, ad quod sine te tendit, reddatur exanimata, quia tu es amoenitas omnium colorum, dulcor omnium saporum, fragrantia omnium odorum, delectatio omnium sonorum, suavis amoenitas amplexuum intimorum. In te voluptas deliciosa, ex te supereffluentia copiosa, tu supereffluens abyssus divinitatis. O regum Rex dignissime, imperator excellentissime, princeps

Digitized by Google

illustrissime, dominator mitissime, tutor validissime. Tu vivificans gemma humanae nobilitatis. Opifex artificiosissime, instructor mansuetissime, consultor sapientissime, adiutor benignissime, amice fidelissime. Tu saporosa unio intimae suavitatis. O blanditor delicatissime, affector lenissime, amator ardentissime, sponse dulcissime, zelator castissime. Tu vernans flos ingenuae venustatis. O frater amabilissime, iuvenis floridissime, comes iucundissime, hospes liberalissime, ministrator curialissime. Te omni creaturae praeeligo, propter te omni adversitati obvio. In his omnibus te unicum laudatorem requiro. Te vegetatorem horum omniumque bonorum corde et ore contestor. In virtute tui fervoris adiungo intentionem meae devotionis efficaciae tuae orationis, ut per integritatem divinae unionis ducar ad apicem summae perfectionis, consumpto omni motu rebellionis. Amen.

Oratio ad nomen Iesu.

O bone Iesu, o piissime Iesu, o dulcissime Iesu, o Iesu, Fili Dei et Mariae

Digitized by Google

Virginis, plene misericordia et pietate; o dulcis Iesu, secundum magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime Iesu, per pretiosum illum sanguinem, quem pro peccatoribus effudisti, deprecor te, ut abluas omnes iniquitates meas et in me miserum et indignum, humiliter veniam petentem et hoc sanctum nomen Iesu invocantem, respicias. O nomen Iesu, nomen dulce! nomen Iesu, nomen delectabile! nomen Iesu, nomen amabile! Quid est enim Iesus nisi Salvator? ergo, Iesu, propter nomen sanctum tuum esto mihi Iesus et salva me. Ne permittas me damnari, quem pretioso sanguine tuo redemisti. O bone Iesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O benignissime Iesu, miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me, dum tempus est iudicandi. O piissime Iesu, si me damnare velit tua severa iustitia, appello et confugio ad tuam piissimam misericordiam. O amantissime Iesu, o desideratissime Iesu, o mitissime Iesu, o Iesu, Iesu, Iesu, suscipe me in numerum electo-

Digitized by Google

rum tuorum. O Iesu, salus in te credentium, o Iesu, fiducia ad te confugientium, o Iesu, dulcedo te amantium; fac ut diligam te tibique fideliter adhaeream et post hanc miseram miseriam feliciter ad te perveniam. Amen.

V. Iesu, Salvator mundi, exaudi nos.

R. Cui nihil est impossibile quam non posse miseris misereri. (S. Gert. l. 3, c. 49.)

Oremus.

Benignissime Iesu, vera dulcedo omnium ad te confugientium, suscipe hanc orationem meam, quam tibi per dulcissimum Cor tuum ad aeternam laudem dulcissimi Nominis tui devotissime offero: rogans per amorem illum, quo hoc sanctissimum Nomen suscipere omnibusque fidelibus tam dulce et amabile efficere voluisti, ut per virtutem eiusdem sacratissimi Nominis Iesu me in omnibus tentationibus confortare mihique in morte mea fideliter adesse digneris. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Litaniae de SS. Nomine Iesu [1].

(Indulg. 300 dier. semel in die. Leo XIII. 16. Ian. 1886.)

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Iesu, audi nos.
Iesu, exaudi nos.
Pater de caelis, Deus, — miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, [2]
Spiritus Sancte, Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Iesu, Fili Dei vivi,
Iesu, splendor Patris,
Iesu, candor lucis aeternae,
Iesu, Rex gloriae,
Iesu, sol iustitiae,
Iesu, Fili Mariae Virginis,
Iesu amabilis,
Iesu admirabilis,
Iesu, Deus fortis,
Iesu, pater futuri saeculi,
Iesu, magni consilii angele,

[1] Ab editore adiectae.
[2] Miserere nobis.

Digitized by Google

Iesu potentissime, — miserere nobis.
Iesu patientissime, [1]
Iesu obedientissime,
Iesu, mitis et humilis corde,
Iesu, amator castitatis,
Iesu, amator noster,
Iesu, Deus pacis,
Iesu, auctor vitae,
Iesu, exemplar virtutum,
Iesu, zelator animarum,
Iesu, Deus noster,
Iesu, refugium nostrum,
Iesu, pater pauperum,
Iesu, thesaurus fidelium,
Iesu, bone pastor,
Iesu, lux vera,
Iesu, sapientia aeterna,
Iesu, bonitas infinita,
Iesu, via et vita nostra,
Iesu, gaudium angelorum,
Iesu, rex patriarcharum,
Iesu, magister apostolorum,
Iesu, doctor evangelistarum,

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

Iesu, fortitudo martyrum, — miserere nobis.
Iesu, lumen confessorum,[1]
Iesu, puritas virginum,
Iesu, corona sanctorum omnium,
Propitius esto, — parce nobis, Iesu.
Propitius esto, — exaudi nos, Iesu.
Ab omni malo — libera nos, Iesu.
Ab omni peccato[2]
Ab ira tua
Ab insidiis diaboli
A spiritu fornicationis
A morte perpetua
A neglectu inspirationum tuarum
Per mysterium sanctae incarnationis tuae
Per nativitatem tuam
Per infantiam tuam
Per divinissimam vitam tuam
Per labores tuos
Per agoniam et passionem tuam
Per crucem et derelictionem tuam
Per languores tuos
Per mortem et sepulturam tuam

[1] Miserere nobis.
[2] Libera nos, Iesu.

Digitized by Google

Per resurrectionem tuam — libera nos, Iesu.
Per ascensionem tuam [1]
Per gaudia tua
Per gloriam tuam
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis, Iesu.
Agnus Dei etc., — exaudi nos, Iesu.
Agnus Dei etc., — miserere nobis, Iesu.
Iesu, audi nos.
Iesu, exaudi nos.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui dixisti: Petite, et accipietis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis; quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus et a tua numquam laude cessemus.

Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Dominum nostrum etc.

[1] Libera nos, Iesu.

Digitized by Google

Petitio ad Iesum, ut ipse per suam ss. conversationem satisfaciat pro nostris excessibus.

Ex Exercit. S. Gert.

O Iesu pientissime, plene pietate et misericordia, qui numquam spernis miserorum suspiria: ad te confugio, tuam clementiam exoro. Tu pro me loquere, tu pro me supple: quoniam tibi confiteor universa peccata mea. Tu per puras clarissimorum oculorum tuorum lacrimas ablue omnes peccantium oculorum meorum maculas. Tu per dulcem benedictarum aurium tuarum pietatem ablue omnem peccantium aurium mearum iniquitatem. Tu per vividam dulcium verborum benedicti oris tui potentiam absterge omnem polluti oris mei offensam. Tu per operum tuorum perfectionem manuumque tuarum crucifixionem ablue omnem impiarum manuum mearum offensionem. Tu per dolorosam benedictorum pedum tuorum fatigationem dirissimamque perforationem ablue omnem peccantium pedum meorum maculationem. Tu per puram sanctissimorum cogitatuum tuorum intentionem ardentemque transfixi

Digitized by Google

Cordis tui amorem ablue omnem malarum cogitationum mearum et criminosi cordis mei reatum. Tu per vitae tuae nobilem innocentiam puramque sanctitatem dele omnem corruptae vitae meae foeditatem. Tu demum per pretiosissimi sanguinis tui praenobile lavacrum ablue, emunda et exstingue omne cordis et animae meae piaculum, ut per sanctissima merita tua mundus inveniar et deinceps immaculatus omnia mandata tua servare merear. Amen.

Quinque suspiria ad Christum mire alta, quae Christus B. Mechtildem docuit.

(P. 3, c. 34.)

Dulcis Iesu, suspiro ad te in unione istius laudis, quae a te in omnes sanctos effluit, in suppletionem istius laudis, qua te omnes creaturae laudare deberent.

Pie Iesu, suspiro ad te in unione istius gratitudinis, quam sancti de Corde tuo trahunt tibique pro donis sibi collatis gratias agunt.

Suavis Iesu, suspiro ad te pro meis omniumque peccatis, in unione istius pa-

Digitized by Google

tientiae, qua iniquitates omnium portas et suffers.

Amabilis Iesu, suspiro ad te in unione tui divini desiderii, quod in terris pro salute hominum habuisti, desiderans omne bonum, quo homines ad laudem Dei et salutem suam indigent.

Bone Iesu, suspiro ad te in unione omnis orationis, quae ex divino Corde tuo et ex cordibus omnium sanctorum pro vivis et defunctis effluxit. Amen.

Oblatio meritorum Christi pro peccatis propriis.

Cum Christus pro B. Gertrude ad eius instantiam hanc oblationem Deo Patri obtulisset, videbatur ipsa indumentis candidis rubeisque vestita diversisque ornamentis velut inclita proles mirabiliter decorata (l. 4, c. 17). Et haec oratio vere est efficacissima meritoque saepius iteranda.

Piissime Iesu, secundum quod ex inscrutabili sapientia tua perspicacius cognoscis defectum humanae fragilitatis, quam vel ego vel quisquam hominum cognoscere possit: ideo rogo, ut meae multiplici fragilitati multipliciter compassus universalem meum supplere velis defectum. Offer ergo,

Digitized by Google

pie Iesu, dulcissimo Patri tuo abstinentiam dignissimam sanctissimi oris tui in veram emendationem et suppletionem omnium, quae umquam per inutilem sermocinationem deliqui aut omisi. Offer illi etiam, bone Iesu, abstinentiam sanctissimarum aurium tuarum pro omnibus delictis aurium mearum. Abstinentiam quoque oculorum tuorum offer ei, pro cunctis maculis, quae aliquo illicito visu contraxi, nec non abstinentiam manuum pedumque tuorum pro omnibus delictis operum gressuumque meorum. Postremo maiestati eius, Iesu amantissime, offer deificatum Cor tuum pro universis delictis, quae umquam cogitatione, desiderio sive voluntate commisi. Amen.

Salutatio Iesu melliflua.

Haec salutatiuncula B. Gertrudi familiarissima fuit, utpote qua Christo ab allis offenso blandiri solebat cum summo ipsius oblectamento. Unde optime faceres cum eadem memoriae commendata imaginem Christi frequenter salutando.

Ave, vivificans gemma divinae nobilitatis. Ave, immarcescibilis flos humanae dignitatis, Iesu amantissime: cum delecta-

Digitized by Google

mento tuae divinitatis ex affectu totius universitatis salutans amplector te et in dulcissimum vulnus Cordis tui commendo me. Amen.

Salutatio omnium Vulnerum Christi.

Cum B. Gertrudis in salutationem omnium vulnerum totius corporis Domini Iesu dixisset plurimis vicibus sequentem orationem, apparuit ei Dominus, super quodlibet vulnus suum habens flores aureo splendore coruscantes, blandissimeque illam salutans dixit: Ecce in hac praerutilanti forma in hora mortis tibi apparebo et tali decore, quali nunc mea vulnera ex salutatione orationum tuarum sunt adornata; ego omnes maculas peccatorum tuorum contegens adornabo, et etiam omnium, qui simili studio et devotione singula vulnera mea salutabunt cum eadem vel simili oratione. (L. 4, c. 35.)

Frequenter igitur adhibe sequentem orationem, una cum oblatione, quam Christus B. Mechtildem docuit. (P. 4, c. 56.)

Gloria tibi, suavissima, dulcissima, benignissima, nobilissima, imperialis, excellentissima, fulgida semperque tranquilla Trinitas, pro roseis vulneribus Iesu Christi, mei unice electi amatoris.

Oblatio ex B. Mechtilde.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, suscipe hanc orationem in amore illo superexcellenti, quo omnia vulnera sanctissimi

Digitized by Google

corporis tui sustinuisti. Et miserere mihi et omnibus peccatoribus cunctisque fidelibus vivis atque defunctis. Da iis gratiam et misericordiam, remissionem peccatorum et vitam aeternam. Amen.

Alia Vulnerum Christi salutatio, ad modum, qui B. Mechtildi inspiratus fuit.

(P. 1, c. 11.)

Salvete, pretiosissima Iesu vulnera, in omnipotentia Patris, qui dedit vos. Salvete in sapientia Filii, qui sustinuit vos. Salvete in bonitate Spiritus Sancti, qui per vos redemptionem generis humani perfecit. In vos commendo me, in vos abscondo me, in vos demergo me, ut vestra protectione liberari merear a facie vastatoris. Amen.

Salutatio Cordis Iesu.

Dum B. Mechtildis in amaritudine cordis recogitaret, quam neglegenter Deo servisset, dixit Christus ad eam: Pro omnibus, quae neglexisti, ut ea plene recuperare queas, saluta Cor meum hoc modo. (P. 3, c. 8.)

Salve, Cor Iesu dulcissimum, suavisonum S. Trinitatis organum. Salve, Cor

Digitized by Google

Iesu mellifluum, omnis bonitatis et gratiae vivum profluvium, omnium divitiarum Dei nobilissimum triclinium. Millies et millies benedico et saluto te in divina bonitate, qua es fons et origo, ex qua omnis bonitas et misericordia scaturit. O nobile et pretiosum Cor Iesu Christi, per mutuum amorem colendae Trinitatis saluto et adoro te, in abundantia omnium gratiarum, quae effluxerunt et sine fine effluent in omnes sanctas et devotas animas, quas toties irrigasti et inebriasti torrente divinae voluptatis tuae.

O Cor Iesu, Cor dulce! O Cor Iesu, Cor suave! O Cor Iesu, Cor amabile! O Cor manans dulcedine, redundans pietate, supereffluens caritate! In tuam intimam medullam immergo meum spiritum et in profundo tuae misericordiae sepelio totum pondus iniquitatis et neglegentiae meae. Tibi offero omnes meos labores et sudores, tibi dedico omnes meas angustias et miserias, tibi commendo vitam et finem vitae meae. O Cor, thymiama dulcissimum, incensum suavissimum, sacrificium

Digitized by Google

dignissimum: offer temet ipsum super reconciliationis humanae altare aureum in supplementum omnium meorum, quos vixi, dierum, in quibus Deo non detuli fructum.

Benedico te, Cor Iesu nobilissimum, in illo amore, quo a Spiritu Sancto ex castissimo Mariae Virginis sanguine es creatum. Glorifico te, Cor Iesu dulcissimum, in illo amore, quo a S. Trinitate omnibus caelestibus bonis es decoratum. Magnifico te, Cor Iesu mitissimum, in illo amore, quo semper erga genus humanum arsisti. Veneror te, Cor Iesu benignissimum, in illo amore, quo in cruce moriens disruptum fuisti. Collaudo te, Cor Iesu fidissimum, in illo amore, quo lancea transverberari sanguinemque et aquam distillare voluisti.

Te igitur, o superdignissima Trinitas, per illud superbenedictum Cor laudo, glorifico et benedico, quod potueris, sciveris atque volueris huic nobilissimo Cordi tam multiplicia dona gratiarumque abundantiam conferre, et summo, quo possum, affectu et reverentia offero tuae supremae maiestati

Digitized by Google

id ipsum Cor dulcissimum atque unice dignissimum in ea dignitate, qua plenum est divina gratitudine et omnimodae beatitudinis perfectione superexcellens in perpetuum: orans, ut per illud ipsum supplere ac perfecte restaurare digneris, quidquid mali commisi et in omni bono neglexi. Amen.

Litaniae de SS. Corde Iesu [1].

(Indulg. 300 dier. semel in die. Leo XIII. 2. Apr. 1899.)

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de caelis, Deus, — miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, [2]
Spiritus Sancte, Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Cor Iesu, Filii Patris aeterni,
Cor Iesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum,

[1] Ab editore adiunctae.
[2] Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Iesu, Verbo Dei substantialiter unitum, — miserere nobis.
Cor Iesu, maiestatis infinitae, [1]
Cor Iesu, templum Dei sanctum,
Cor Iesu, tabernaculum Altissimi,
Cor Iesu, domus Dei et porta caeli,
Cor Iesu, fornax ardens caritatis,
Cor Iesu, iustitiae et amoris receptaculum,
Cor Iesu, bonitate et amore plenum,
Cor Iesu, virtutum omnium abyssus,
Cor Iesu, omni laude dignissimum,
Cor Iesu, rex et centrum omnium cordium,
Cor Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae,
Cor Iesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis,
Cor Iesu, in quo Pater sibi bene complacuit,
Cor Iesu, de cuius plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Iesu, desiderium collium aeternorum,
Cor Iesu, patiens et multae misericordiae,

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Iesu, dives in omnes, qui invocant te, — miserere nobis.
Cor Iesu, fons vitae et sanctitatis,[1]
Cor Iesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Iesu, saturatum opprobriis,
Cor Iesu, attritum propter scelera nostra,
Cor Iesu, usque ad mortem obediens factum,
Cor Iesu, lancea perforatum,
Cor Iesu, fons totius consolationis,
Cor Iesu, vita et resurrectio nostra,
Cor Iesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Iesu, victima peccatorum,
Cor Iesu, salus in te sperantium,
Cor Iesu, spes in te morientium,
Cor Iesu, deliciae sanctorum omnium,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis, Domine.
Agnus Dei etc., — exaudi nos, Domine.
Agnus Dei etc., — miserere nobis.

V. Iesu, mitis et humilis Corde.

R. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

---

[1] Miserere nobis.

Digitized by Google

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque misericordiam tuam petentibus tu veniam concede placatus, in nomine eiusdem Filii tui Iesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

PARS QUINTA.
DE PASSIONE DOMINI.

Decem orationes affectuosae, in quibus Christo passio sua repraesentatur.

B. Gertrudi revelatum est, quando quis ruminet orationes vel lectiones de dominica passione, in infinitum hoc maioris virtutis esse quam de ceteris exercitiis. Quia, sicut impossibile est aliquem tractare farinam et pulverem nullum contrahere, sic esse non potest, ut quis cum devotione etiam parva dominicae intendat passioni et nullum fructum inde percipiat. (L. 3, c. 41.) Item: Si quis tepescat in devotione, semper tamen benignius eum respici a Domino, dummodo passionis memoriam non omittat celebrare. (L. 3, c. 39.)

Oratio prima.

Domine Iesu Christe, aeterna dulcedo et amantium iubilus, memento omnis praemeditationis et intimi maeroris, quem ab initio conceptionis tuae sustinuisti, maxime instante passionis tuae tempore, quando

Digitized by Google

dixisti: Tristis est anima mea usque ad mortem; et quando prae vehementia tremoris, angustiae et doloris sanguineum sudorem sudasti. Memento omnis doloris et amaritudinis quam habuisti, quando a Iudaeis capiebaris, a falsis testibus accusabaris, a tribus iudicibus damnabaris, colaphis et alapis caedebaris, conspuebaris, flagellabaris et spinis coronabaris. O dulcissime Iesu, per omnes illos dolores et iniurias, quas sustinuisti, rogo te, miserere mei peccatoris. Amen.

Oratio secunda.

O Iesu, paradisus deliciarum Dei, recordare tremoris et doloris, quem sustinuisti, dum Pilatus sententiam mortis super te pronuntiaret, et impii lictores gravissimam crucem humeris tuis imponerent ad eamque obtusis clavis te affigentes ita crudeliter membra et nervos tuos distraherent, ut omnia ossa tua numerari possent: rogo te, ut in die iudicii piam sententiam super me pronuntiare meque omni poena liberare digneris. Amen.

Digitized by Google

Oratio tertia.

O Iesu, caelestis medice, recordare languoris et doloris, quos in crucis patibulo levatus sustinuisti in omnibus membris tuis, quorum nullum in suo recto statu permanserat, ita ut nullus dolor dolori tuo similis inveniretur, quia a planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in te sanitas. Et nihilominus omnium dolorum immemor Patrem pro inimicis pie exorasti dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Per hanc caritatem et misericordiam concede mihi, ut dignitas passionis tuae sit omnium peccatorum meorum plenaria remissio. Amen.

Oratio quarta.

O Iesu, speculum claritatis aeternae, memento illius maeroris, quem habuisti, quando in speculo divinitatis tuae conspexisti reprobationem malorum et multitudinem damnandorum, et per abyssum miserationis tuae, qua perditis et desperatis peccatoribus tunc condoluisti quamque

Digitized by Google

latroni in cruce exhibuisti dicens: hodie mecum eris in paradiso: rogo te, pie Iesu, ut facias mecum misericordiam tuam in hora mortis meae. Amen.

Oratio quinta.

O Iesu, Rex amabilis, memento desolationis illius miserabilis, qua tu amicus fidelissimus, ab omnibus amicis derelictus, in cruce pendens illudereris et nullam consolationem invenires nisi in dilecta matre tua tibi fideliter assistenti, quam discipulo tuo commendasti dicens: Mulier, ecce filius tuus! et ad discipulum: Ecce Mater tua! Rogo te, pie Iesu, per gladium doloris, qui tunc eius animam pertransivit, ut compatiaris et consoleris me in omnibus tribulationibus meis. Amen.

Oratio sexta.

O Iesu, fons inexhaustae pietatis, recordare amaritudinis illius, quam sustinuisti, cum exhaustis et arefactis omnibus viribus tuis vehementissime sitires nec unicam aquae guttulam ad refrigerandam linguam

Digitized by Google

tuam haberes, sed felle et aceto potareris: rogo, ut sitim carnalis concupiscentiae mundanaeque delectationis in me exstinguas. Amen.

Oratio septima.

O Iesu, regalis virtus, recordare, quod a summo capite usque ad plantam pedis pro nobis in aquam passionis immersus non solum ab hominibus, sed et a Patre tuo derelictus fuisti; unde et clamabas: Deus meus, ut quid dereliquisti me! Per hanc angustiam peto, ne in angustiis mortis meae derelinquas me. Amen.

Oratio octava.

O Iesu, leo fortissime, memento doloris, quem passus es, cum omnes vires cordis et corporis tui penitus defecerunt, et inclinato capite dixisti: Consummatum est! Per hanc angustiam et dolorem tuum miserere mei in consummatione vitae meae, cum anima mea anxiata et spiritus meus conturbatus fuerit. Amen.

Digitized by Google

Oratio nona.

O Iesu, splendor Patris et figura substantiae eius, memento obnixae commendationis, qua spiritum tuum Patri commendasti dicens: In manus tuas commendo spiritum meum, et lacerato corpore, rupto corde, cum clamore valido, patefactis visceribus misericordiae tuae pro nobis redimendis exspirasti: rogo te per amorem illum, qui te, vivificatorem omnium creaturarum, mori coegit, ut mortifices in anima mea omnia, quae tibi in ea displicent. Amen.

Oratio decima.

O Iesu, vitis vera et fecunda, memento superabundantissimae effusionis sanguinis tui, quem de corpore tuo sicut de botro expresso copiosissime effudisti, quando in cruce torcular solus calcasti et lancea perfosso latere sanguinem et aquam nobis propinasti, ita ut nec unica gutta in te remaneret. Tunc demum quasi fasciculus myrrhae in altum suspensus fuisti, et delicata caro tua expalluit, et liquor viscerum

Digitized by Google

tuorum exaruit, et medulla ossium tuorum emarcuit. Per hanc amarissimam passionem tuam et per pretiosissimi sanguinis tui effusionem rogo te, amantissime Iesu, ut in hora mortis meae animam meam in virtuosa aqua sanctissimi lateris tui abluas eamque decentissime exornes in pretioso sanguine dulcissimi Cordis tui ac tibi convenientissime coaptes in aromatico vapore divini amoris tui. Amen.

Oblatio.

Suscipe, pie Iesu, hanc orationem meam in amore illo superexcellenti, quo amaram mortem subiisti eamque cum omni fructu ss. humanitatis tuae in die ascensionis Deo Patri obtulisti, rogoque propter profunditatem vulnerum tuorum, quae carnem intimaque viscerum tuorum transierunt, ut me submersum in peccatis emergas tibique per omnia placentem reddas. Amen.

Quinque oblationes passionis Christi pro peccatis.

Quadam vice dicebat Christus B. Gertrudi: Si credis me in cruce Deo Patri oblatum, crede etiam indubitanter, quod adhuc cotidie desidero eodem amore pro quolibet pec-

Digitized by Google

catore Deo Patri offerri; unde quicumque quantumlibet gravi pondere peccatorum se senserit depressum, respirare poterit in spem veniae offerendo Deo Patri meam innocentissimam passionem et mortem, et credat se per hoc saluberrimum fructum indulgentiae obtinere. (L. 4, c. 25.)

Oblatio prima.

Omnipotens aeterne Deus, inexhauribilis fons omnis misericordiae, qui non contemnis indignos venientes ad te, sed mundas eos a peccatis suis: ecce ego peccator, qui me gravissimo peccatorum pondere sentio depressum, in spiritu humilitatis et in animo contrito confiteor, quod tibi, Deo meo, valde ingratus exstiterim teque multipliciter offenderim. Sed nunc venio ad te et vere contritus procido ante te misericordiamque tuam imploro. Et quia dignius nil habeo, quo pro gravissimis peccatis meis tibi satisfaciam, quam sanctissimam vitam et passionem Filii tui, ideo per dulcissimum Cor Iesu Christi, in virtute Spiritus Sancti, pro omnibus peccatis meis, quae a iuventute mea usque in hanc horam delectatione et consensu cordis mei commisi, offero tibi superexcellentem illum amorem, quo idem Unigenitus tuus humani-

Digitized by Google

tatem assumpsit et per triginta tres annos tot labores et defatigationes, tot angustias et miserias nostri causa sustinuit. Offero tibi anxietatem illam et tristitiam, quam habuit, dum diceret: Tristis est anima mea usque ad mortem. Offero tibi sudorem eius sanguineum, quem vehemens amor timorque e corpore eius expressit, et trinam orationem, quam in agonia constitutus ad te fudit. Offero tibi ignominiosam eius captivitatem, verbera et tunsiones, iniurias et blasphemias, colaphos et alapas, vellicationes et conspuitiones, quas in domo Annae et Caiphae tota illa nocte sustinuit. Haec omnia cum gratitudine et compassione tibi repraesentans rogo inexhaustam bonitatem tuam, ut eorum virtute et meritis a peccatis meis me abluas tibique per omnia placentem reddas. Amen.

Post singulas oblationes, si libet, poteris addere unum „Pater noster".

Oblatio secunda.

Piissime Deus, pro omnibus perversis et malis operibus, quae singulis membris corporis mei commisi, offero tibi ineffabilem

Digitized by Google

illam iniuriam et dolorem, quem Filius tuus sustinuit, dum tam contumeliose in faciem suam percuteretur et conspueretur, ante Pilatum et Herodem iniuste accusaretur, probrose illuderetur et blaspheme iniuriaretur. Offero tibi ignominiosam vestium eius detractionem, immitem ad columnam alligationem, dolorosam flagellationem, poenosam vulnerationem et copiosissimam sanguinis effusionem. Respice, pie Pater, cum quanto pudore ad columnam steterit, quam intime ad te suspiraverit, quot verbera et ictus acceperit, quot vulneribus caro eius discissa fuerit, quanti dolores medullas et ossa eius penetraverint, quotque sacratissimi eius sanguinis guttae e vulneribus eius effluxerint. Haec omnia cum intima gratitudine et compassione tibi offerens rogo, ut eorum virtute et meritis in gratiam tuam me recipias tibique per omnia placentem reddas. Amen.

Oblatio tertia.

Mitissime Deus, pro omni neglectu bonorum operum, quae ex pigritia et acedia

Digitized by Google

omisi, offero tibi amorem illum, quo Filius tuus intolerabiles illos dolores sustinuit, quando spinis coronabatur, impie salutabatur, turpiter conspuebatur, arundine et alapis percutiebatur, tribunali sistebatur, iniustissime condemnabatur et homicidae postpositus impia plebis voce ad mortem petebatur. Offero tibi poenosum illud iter, quod gravi cruce onustus ad montem Calvariae perfecit; offero tibi membrorum eius defatigationem, lictorum immisericordiam, populi applausum et irrisionem, sanguinolenta vestigia et quidquid hac tota via egit et sustinuit. Haec omnia cum gratitudine et compassione tibi repraesentans oro inexhaustam bonitatem tuam, ut eorum virtute et meritis a peccatis meis me abluas tibique per omnia placentem reddas. Amen.

Oblatio quarta.

Misericordissime Deus, pro omnibus peccatis et iniquitatibus meis, quas corpore et anima mea commisi, offero tibi nimium illum dolorem, quem Filius tuus sustinuit, cum vestimenta eius vulneribus fortius

Digitized by Google

agglutinata cum refricatione omnium vulnerum immisericorditer detraherentur. Offero tibi inhumanum illud dirissimumque martyrium, quod sustinuit, cum sacratissimae manus eius et pedes cum summo dolore Cordis sui cruci affigerentur. Recordare, piissime Pater, quam humiliter quamque miserabiliter Filius tuus super crucem decubuerit et prae violentia intensissimi doloris nescierit, quo caput suum reclinaret. Recordare, quot lacrimas oculi eius fuderint, quot suspiria e corde eius proruperint, quot guttae sanguinis e vulneribus eius effluxerint, quotque dolores et horrores mortis omnia eius viscera vehementissime penetraverint. Omnes has guttas et lacrimas, omnes dolores et livores, omnes torturas et luxationes membrorum, omnes gemitus et suspiria cordis, omnem amorem et patientiam, qua haec omnia Filius tuus sustinuit, repraesento et offero tibi cum intima gratitudine et compassione, orans, ut me a peccatis meis emundes tibique per omnia placentem reddas. Amen.

Digitized by Google

Oblatio quinta.

Clementissime Deus, pro omnibus mortalibus et venialibus peccatis meis, pro omnibus neglegentiis et omissionibus meis, pro omnibus culpis et poenis mihi debitis, offero tibi ineffabiles illos dolores, qui Filii tui viscera penetrarunt, dum una cum cruce in altum levatus violenter demitteretur totumque pondus corporis tribus clavis sustentaretur. Offero tibi omnes irrisiones et blasphemias ipsi irrogatas, omnia verba in cruce prolata, omnes lacrimas quas fudit, omne frigus et tremorem membrorum quem pertulit, omnes angustias et pressuras cordis quas sustinuit, omnia suspiria et preces quas ad te fudit, omnem pudorem et verecundiam, quam ob nuditatem suam habuit, omnes actus virtutum, quos in cruce elicuit, omnem compassionem, singultus et lacrimas, quas desolatissima mater eius ceteriique amici fuderunt, et demum offero tibi amarissimam, innocentissimam crudelissimamque mortem, quam violentissimus amor et dolor ei intulerunt, humillime rogans, ut per merita sanctissimae vitae, passionis

Digitized by Google

et mortis eius animam meam pretiosissimo illo Filii tui sanguine ab omnibus maculis abluas meritisque et virtutibus humanitatis eius exornes et in exito suo sanctissima eiusdem passione et morte communias. Amen.

Hostia pro peccato, seu oratio, qua Deo Patri Christus in cruce pendens offertur.

Ex Rev. B. Mecht. P. 1, c. 18.

Respice, pie Pater, de sede magnitudinis tuae et de excelso caelorum habitaculo, et intuere dilectum Filium tuum tam miserabiliter et ignominiose in cruce pendentem, toto corpore extensum et vulneratum. Respice agnum illum sine macula, qui in faucibus luporum non aperuit os suum ad proferendum vel unicum excusationis verbum. Intuere dilectissimum Filium tuum, dulcem Iesum, tam copiose et liberaliter fundentem sanguinem suum pro peccatis fratrum suorum. Aspice sacratissimum cunctisque potentatibus tremendum caput spinarum aculeis perfossum atque prae dolore animique deliquio inclinatum. Vide

Digitized by Google

speciosissimam faciem sputis maculatam, unguibus laceratam, sanguine foedatam atque livoribus tumidam; cerne oculos manantes lacrimis, os squalidum, genas deturpatas, capillos evulsos, bracchia extensa, nervos luxatos, ossa confracta, pectus vulneratum, cutem conscissam, genua debilitata, pedes et manus duris clavis transfixas, pectus confossum, Cor vulneratum et omnia membra et artus vulneribus et livoribus tumida atque pallentia. Recogita ergo, piissime Pater, quis patitur, et recordare benignus, pro quo patitur. Nonne hic est dilectissimus ille Unigenitus tuus, quem e Corde tuo paterno ab aeterno genuisti? Nonne hic est innocentissimus ille Agnus, qui tibi usque ad mortem oboediens semet ipsum pro peccatis nostris hostiam et victimam obtulit? Moveat ergo te spectaculum hoc, quod tibi Unigenitus tuus in cruce exhibuit tibique pro peccatis nostris satisfecit. Recordare gemituum, recordare lacrimarum eius, quas in cruce fudit, dum pro crucifixoribus suis cunctisque peccatoribus oravit dicens: Pater, ignosce

Digitized by Google

illis! Hunc ergo Filium tuum, qui factus est mihi sanctificatio et iustitia et redemptio, repraesento et offero tibi pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et neglegentiis meis. Ecce, sanctissime Pater, repraesento tibi humillimum Filium tuum, qui tibi pro me copiosissime solvit, quidquid per superbiam commisi. Repraesento et offero tibi mansuetissimum Filium tuum, qui pro me solvit, quidquid per iram deliqui. Offero tibi amantissimum Filium tuum, qui plene supplevit, quidquid per odium peccavi. Mitissima eius liberalitas persolvit, quidquid per avaritiam contraxi. Sanctissima eius opera emendarunt meam acediam. Summa eius abstinentia satisfecit pro mea gulositate. Puritas sanctissimae vitae eius abolevit, quidquid malis cogitationibus, verbis et operibus commisi. Suprema eius oboedientia, qua tibi oboediens fuit usque ad mortem, exstinxit meam inoboedientiam. Demum omnimoda eius perfectio defendat supremam meam imperfectionem omniumque virtutum inopiam. Hic est thesaurus meus, piissime Pater, in quo confido, hoc

Digitized by Google

est pretium, quo tibi debita mea persolvo. Rogo ergo te per virtutem omnium orationum, quas Filius tuus pro peccatoribus fudit, ut hanc oblationem meam ratam, acceptabilem efficacemque facere meque respicere digneris per innocentissimam eiusdem Iesu Christi Filii tui humanitatem purúm et immaculatum ab omni peccato, ac per excellentissimam ipsius divinitatem ditatum et ornatum omnigena virtute, qua eadem gloriosa divinitas floruit per sanctissimam humanitatem. Amen.

Oblatio brevior.

Haec oblatio, quam B. Gertrudis miro et incredibili effectu sibi divinitus infusam suscepit et etiam eandem miro modo ab omnibus legentibus acceptari a Domino recognovit, eidem familiarissima fuit, adeo ut in ultima infirmitate sua tam assidue eam replicaret, ut non sineret se impediri, quin singulis diebus vice omnium membrorum suorum eam persolveret. (L. 5, c. 30.)

O amantissime Pater, pro emendatione omnium peccatorum meorum offero tibi omnem passionem tui dilectissimi Filii, quam ab illa hora, qua in praesepio super foenum reclinatus vagitum dedit, et dein-

Digitized by Google

ceps pertulit per infantiles necessitates, pueriles defectus, adulescentiles adversitates et iuveniles passiones, usque ad horam illam, qua inclinato capite in cruce cum clamore valido spiritum emisit. Et in suppletionem omnium neglegentiarum tibi offero, Pater amantissime, omnem conversationem Filii tui sanctissimam, quae in omnibus cogitationibus, verbis et factis perfectissima fuit, ab hora, qua missus ab arce throni per uterum Virginis introivit in regionem nostram, usque post illam horam, qua tuis paternis vultibus praesentavit victricis carnis gloriam. Amen.

Oratio ad Christum passum.

Haec oratio B. Gertrudi valde familiaris fuit, per quam et promerita est, ut in corde eius quasi corporalibus locis imprimerentur colenda illa et adoranda sanctissimorum vulnerum Christi stigmata. (L. 2, c. 4.)

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, da mihi toto corde, pleno desiderio, sitienti animo ad te aspirare et in te dulcissimo ac suavissimo respirare ac totum spiritum meum et omnia interiora mea ad te, qui es vera beatitudo, iugiter anhelare. Scribe,

Digitized by Google

misericordissime Domine, vulnera tua in corde meo pretioso sanguine tuo, ut in iis legam dolorem pariter et amorem tuum, et vulnerum tuorum memoria iugiter in secreto cordis mei permaneat, et dolor debitae compassionis tuae in me excitetur, et ardor dilectionis tuae in me accendatur. Da quoque, ut omnis mihi creatura vilescat, et tu solus in corde meo dulcescas. Amen.

Suspirium animae Christo passo compatientis.

B. Mechtildi dicebat Christus: Quoties homo in meditatione passionis meae ex amore suspirat, toties vulnera mea tamquam cum vernante rosa suaviter tangit: ex quo sagitta amoris in animam eius iaculatur. (P. 1, c. 16.) Insuper in veritate dico tibi, quod, si quis ex devotione erga passionem meam lacrimas fuderit, hoc ita acceptabo, ac si pro me passus fuisset. Et illa: Quomodo has lacrimas obtinebo? Tunc eam docuit hoc fere modo de eius passione meditari. (P. 1, c. 18.)

O Iesu benignissime, qui venisti quaerere et salvum facere, quod perierat: eheu, quam male et indigne tractavit te mundus quamque vehementer ingratus tibi exstitit, qui, ut eum salvares, dilectam animam tuam

Digitized by Google

in manus hostium tradidisti. Doleo super te, mi frater amantissime, et ex intima medulla spiritus mei compatior tibi, recogitans desolationem illam miserabilem, qua tu, amicus fidelissimus, ab omnibus amicis derelictus vel ut fur et latro crudeliter comprehensus et immisericorditer vinctus ad mortem es propulsus, et insuper ab inimicis contumeliose derisus, subsannatus et iniuriis afflictus, tamquam vermis et non homo, opprobrium hominum et abiectio plebis effectus es. Ah, quis sine lacrimis cogitare poterit, quanta amicabilitate et caritate hostibus tuis, qui cum gladiis et fustibus ad te capiendum mortique tradendum venerant, tamquam pia mater proli suae obviam iveris teque sponte in manus eorum tradideris, ut eos e faucibus luporum infernalium eriperes! Dum te immisericorditer colaphizarent, quot colaphos et alapas tibi impegerunt, tot dulcia oscula obtulisti illis animabus, quae usque ad extremum iudicium per passionem tuam salvandae forent. O quantus erat amor tuus erga inimicos tuos, benignissime Iesu! quia,

Digitized by Google

dum tam crudeliter flagellareris, tam ardentem orationem ad Patrem tuum pro iis fudisti, quod multi ex iis converterentur. Dumque sacratissimo capiti tuo corona spinea imponeretur, tot gemmas coronis eorum imposuisti, quot spinas ipsi capiti tuo infixerunt. Ah, suavissime Iesu, quis sine amore tui cogitare poterit stupendum illum amorem nobis ingratissimis exhibitum, quia, cum duris clavis manus pedesque tui innocentissimi trabi crucis inhumane affigerentur tamque enormiter omnia membra tua extenderentur, quod omnia ossa tua artusque interiores dinumerari possent: tu e diverso in tota virtute divinitatis tuae omnium animas ad aeternam vitam praeordinatas ad te attraxisti! Et cum lancea sacrum latus tuum aperiretur, haustum vitae de Corde tuo propinabas iis, qui per Adamum haustum mortis biberant, ut omnes in te, qui vita es, filii aeternae vitae et beatitudinis efficerentur. O igitur amator mi dulcissime, ad respondendum amori tuo pro tam indebita amaritudine tuae innocentissimae

Digitized by Google

passionis, exhibeo tibi cor meum, desiderans omnem amaritudinem et dolorem dulcissimi Cordis et immaculati Corporis tui perferre ab hora ista usque in horam extremi exitus mei, et orans, ut id ipsum compassione tui vulneres iugemque eiusdem passionis tuae memoriam sentire facias. Amen.

Alia oratio ad Christum passum.

B. Mechtildi dicebat Christus: Ecce trado tibi omnem amaritudinem passionis meae tamquam propriam, ut eam tamquam tuam mihi reddas et offeras. Et si quis hoc fecerit, in duplo eandem ei reddo. Et quoties mihi ipsam reobtulerit, toties ei eandem duplicatam reddo. (P. 1, c. 8.)

Benignissime Iesu, humani generis redemptor et salvator, cum gratitudine et affectu commonefacio te anxietatis illius, qua tu, Creator meus ac Dominus, in agonia constitutus prolixius orasti et prae nimia vehementia anxietatis, desiderii et amoris sanguineo sudore faciem terrae irrigasti: rogo per omnes et singulas huius sacratissimi cruoris guttas, quas tibi devoto affectu offero, ut maculas peccatorum meorum dignanter abluas. Commonefacio

Digitized by Google

te iniustae tuae captivitatis durissimorum vinculorum, multiplicium verberum et tunsionum omniumque contumeliarum et blasphemiarum, quae tibi iniustissime irrogatae sunt, dum tamquam seductor ab omnibus proclamareris, coram Pilato falso accusareris, ab Herode ignominiose illudereris, latroni impio postponereris et ab omni populo clamosa voce ad mortem crucis petereris. Quae omnia tanto amore tantaque patientia sustinuisti, quod, licet vel unico intuitu potuisses terruisse omnes tibi adversantes vel unico verbo convicisse falsi omnes tibi contradicentes, attamen tamquam ovis, quae portatur ad victimam, inclinato humiliter capite oculisque depressis in terram coram iudice non aperuisti os tuum ad respondendum vel unicum excusationis verbum contra tot falsas querimonias tibi obiectas. Pro quo ex parte totius universitatis tibi gratias ago tibique omnia opprobria iniuriasque illatas offero in satisfactionem omnium iniuriarum peccatis meis tibi irrogatarum. Gratias tibi etiam ago teque commonefacio dirissimae

Digitized by Google

et excessivae illius flagellationis, qua toto corpore ita vulneratus et excarnificatus fuisti, quod a capite ad calcem non inveniretur in te sanitas. Admoneo te etiam intolerabilis illius doloris, quem persensisti, cum regali capiti tuo corona spinea tam violenter imprimeretur, quod spinae illae acutissimae totum caput, cerebrum et frontem penetrarent, suavissimaque facies tua, in quam desiderant angeli prospicere, roseo sanguine tuo undique perfunderetur. Ah, pientissime Iesu, nunc etiam commonefacio te doloris illius ineffabilis, qui medullas et viscera tua penetrabat, dum ferreis clavis cruci affigereris, cum cruce in altum levareris, a Iudaeis blasphemareris, felle et aceto potareris et tamquam omnium creaturarum peripsema et exterminium medius inter latrones constituereris. Demum, amicabilissime Iesu, cum gratitudine et compassione commonefacio te omnium et singulorum dolorum, quos in corpore tuo sanctissimo, maxime autem in dulcissimo Corde tuo persensisti, ex eo quod praesciebas amarissimam, turpissimam et

Digitized by Google

innocentissimam passionem et mortem tuam in tam multis fore infructuosam, et quando id ipsum deificatum Cor tuum prae vehementia amoris et doloris disrumpebatur, et anima tua sanctissima de benedicto corpore tuo incredibili dolore discedebat. Pro quibus omnibus infinitas tibi gratias agens omnes illos dolores, poenas et cruciatus, quos in Corpore, Corde et Anima tua toto passionis tuae tempore sustinuisti, per dulcissimum Cor tuum in virtute Spiritus Sancti ex parte et affectu omnium creaturarum tibi offero pro omnibus peccatis a me commissis, bonis omissis et neglegenter peractis ac pro omnibus poenis iuste promeritis. Quam oblationem ratam habere meque a peccatis et poenis absolvere digneris. Amen.

Salutatio omnium membrorum Christi.

B. Gertrudis divinitus inspirata singula membra Domini in passione cruciata salutabat: Unde quando aliquod membrum salutabat, ex illo splendor quidam divinus procedens animam ipsius irradiabat. Et in illo splendore dabatur ei illa innocentia, quam per passionem eiusdem membri Dominus acquisierat ecclesiae. Unde et nos idem facere non pigeat, ut similem gratiam consequi mereamur. (L. 4, c. 22.)

Digitized by Google

Salvete, delicata membra Domini mei Iesu Christi, pro salute nostra diversis poenis in passione cruciata. Salve, reverendum caput pro nobis spinis coronatum et arundine perculsum. Salve, pretiosissima facies pro nobis consputa et alapis caesa. Salvete, benignissimi nostri salvatoris oculi pro nobis lacrimis perfusi. Salve, sacrum os gutturque suavissimum pro nobis felle et aceto potatum. Salvete, aures nobilissimae pro nobis opprobriis et contumeliis afflictae. Salve, collum regium pro nobis colaphizatum, dorsumque sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete, venerabiles manus et bracchia pro nobis in cruce extensa. Salve, pectus divinissimum pro nobis in passione conturbatum et contusum. Salvete, veneranda genua pro nobis conquassata et in oratione flexa. Salvete, pedes adorandi pro nobis clavis confixi. Salve, latus gloriosum pro nobis lancea militis perforatum. Salve, corpus Iesu totum pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum ac sepultum. Salve, Cor mellifluum, summae Trinitatis gazophylacium, pro nobis in cruce dis-

Digitized by Google

ruptum. Salve, ter sanctissima Iesu Christi anima ad mortem usque contristata. Salve, sanguis pretiosissime e vulneribus Christi copiosissime effuse. Salvete, adoranda Salvatoris nostri vulnera, monumenta caritatis et pretia redemptionis humanae, in passione Christo inflicta et modo in caelis tamquam stellae radiantia. In his vulneribus tuis, bone Iesu, describe me in iisque a facie tentatoris absconde me. Et per merita vulneraque membrorum tuorum digneris animae meae in exitu suo donare innocentiam illam, quam per passionem singulorum membrorum tuorum ecclesiae tuae acquisivisti. Amen.

Oratio ad Christum in cruce pendentem.

Precor te, amantissime Domine Iesu Christe, propter illam eximiam caritatem, qua humanum genus dilexisti, quando tu caelestis Rex pendebas in ara crucis vulnerato corpore, transfixo Corde, conturbatis sensibus, tristissimo gestu, sanguineis vulneribus, defluentibus guttis, expansis bracchiis, confixis pedibus, extensis membris,

Digitized by Google

livido ore, pallida facie, mortali colore, lacrimosis oculis, gemebundo gutture, inclinato capite, aperto latere atque tristissima anima. Per illam, inquam, caritatem, qua Cor tuum dulcissimum scindebatur, quando benedicta anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, miserere animae meae in egressu suo. Amen.

Tres gratiarum actiones ad Christum in cruce.

B. Mechtildis interrogabat aliquando Christum, qui fuisset maximus dolor eius. Cui ille: Quod in cruce ita extendebar, ut omnia membra mea numerari possent, et si quis mihi pro illo dolore gratias egerit, tale mihi praestat obsequium, acsi vulnera mea unguento ungeret. Et si quis mihi gratias egerit pro siti, quam sustinui, hoc ita accepto, acsi sitim meam exstingueret. Et si quis mihi gratias egerit, quod clavis cruci affixus sim, hoc mihi ita gratum est, acsi me de cruce liberaret. (P. 2, c. 17.)

O Agne Dei mansuetissime, qui tam miserabiliter trium horarum spatio in cruce pependisti, ex affectu totius universitatis gratias tibi ago pro intolerabili illo dolore, quem sustinuisti, dum in sacra cruce tam immisericorditer extensus fuisti, quod omnia ossa tua dinumerari potuerint: orans, ut

Digitized by Google

ob illum dolorem mihi dimittas, quidquid membris meis contra bonitatem tuam deliqui. Amen.

O Agne Dei innocentissime, per gratitudinem universae creaturae gratias tibi ago pro amara siti, quam in cruce pro salute mundi patiebaris, dum lacrimabili voce clamares: Sitio, nec tamen quidquam praeter fel et acetum tibi propinaretur: rogans per acerbitatem sitis illius, ut dimittas mihi, quidquid immoderato cibo et potu deliqui. Amen.

O Agne Dei sacratissime, per mutuam gratitudinem colendae Trinitatis gratias tibi ago pro immani illo martyrio, quod subiisti, dum tam immisericorditer manibus et pedibus clavis ferreis cruci affigereris, adeo ut Cor tuum prae dolore contremisceret et omnes nervi tui contraherentur. Per dolorem hunc tam fortem et per amaram tuam mortem deprecor, ut culpas manuum pedumque meorum abluas eademque vulnera tua sanctissimo Patri tuo ad placandum eum ostendas. Amen.

Digitized by Google

Laus Christi in passione sua contempti, quam ipse B. Mechtildem docuit.

(P. 1, c. 15.)

Laudo et benedico tuam incomprehensibilem omnipotentiam, Iesu magnificentissime, in qua pro homine in tua passione impotens factus es. Laudo et glorifico tuam inscrutabilem sapientiam, in qua pro insipiente reputatus es. Laudo et magnifico amorem tuum ineffabilem, in quo pro electis gratis odio habitus es. Laudo et exalto mitissimam tuam misericordiam, in qua pro homine horrendae morti adiudicatus es. Laudo et adoro suavissimam dulcedinem tuam, in qua per amarissimam mortem amaricatus es. Amen.

Blanditiae Christi in passione sua blasphemati.

Dum legeretur in missa „Daemonium habes", B. Gertrudis, super contumelia Domini sui medullitus commota, ex intimo cordis affectu vice versa ipsi blandiebatur dicens: „Ave, vivificans gemma etc." Cui Christus vicem dignatissimam recompensans seque ad ipsam blande inclinans resalutavit eam et dixit: Quicumque contra blasphemias mihi illatas me salutaverit simili affectu, huic me in iudicio illo districto eadem blanditate exhibebo, ex quo obstupescent et territi fugient omnes adversarii illius. (L. 4, c. 22.)

Digitized by Google

Ave, vivificans gemma divinae nobilitatis. Ave, immarcescibilis flos humanae dignitatis, Iesu amantissime, pro omnibus blasphemiis et contumeliis tibi in terris illatis; ex affectu et amore totius creaturae saluto et benedico te, tot millenis vicibus, quot guttas sanguinis in passione tua fudisti, quot vulnera in sacro corpore tuo habuisti, quot colaphos, pugnos et alapas accepisti. Benedico et saluto te, dulcissime Iesu, tot millenis vicibus, quot suspiria emisisti, quot lacrimas fudisti, quot dolores sustinuisti. Benedico et saluto te tot millenis vicibus, quot actus virtutum elicuisti, quot desideriis salutem humanam sitisti, quot nutibus matrem et amicos aspexisti. Benedico et saluto te tot millenis vicibus, quot lapsibus cecidisti, quot deliquiis defecisti, quot motibus manus aut pedes movisti. Benedico et saluto te, mitissime Iesu, tot millenis vicibus, quot guttas sanguinis sudasti, quot poenosis gressibus ambulasti, quot gemitibus Patrem exorasti. Benedico et saluto te, suavissime Iesu, tot millenis vicibus, quot vulneribus in flagellatione

Digitized by Google

concisus, quot spinis in coronatione vulneratus, quot foetentibus sputis es maculatus. Benedico et saluto te tot millenis vicibus, quot funibus ligatus, quot opprobriis saturatus, quot impiis salutationibus es salutatus. Benedico et saluto te tot millenis vicibus, quot falsis testibus accusatus, quot foedis mendaciis oneratus, quot iniquis iudiciis es condemnatus. Has omnes laudes et salutationes mille millenis vicibus multiplicatas tibi offero et singulis horis offerre desidero, benignissime Iesu, toto affectu cordis et animae meae cupiens omnes iniurias, contumelias et blasphemias tibi, dulcissimo Redemptori meo, tam indebite obiectas prorsus abolere et annihilare, et orans, ut desiderium pauperis tui ne despicias, sed iuxta ingenitam tibi benignitatem ratum habeas et gratanter acceptes. Amen.

Salutatio vulneris lateris.

Ex BB. Mechtilde et Gertrude.

Pie pelicane, Iesu Domine, qui nos immundos mundasti tuo sanguine: gratias tibi ago pro dulcissimo superdignissimo-

Digitized by Google

que vulnere amoris, quod in cruce suscepisti, dum invictissimus amor, amoris sui sagitta mellifluum latus tuum aperuit dulcissimumque Cor tuum amoris vulnere sauciavit. Benedicta sit haec salutifera plaga sacratissimumque vulnus, et benedictus sit adorandus sanguis et aqua salutis, quae pro ablutione peccatorum inde manarunt. Hac unda efficacissima, pie Iesu, me immundum ablue, et hoc sacro cruore me infirmum unge et vivifica et fac, ut vel unica divini huius liquoris guttula in exitu animae meae sit portio et hereditas mea. Per tuum transvulneratum Cor transfige, amantissime Iesu, cor meum iaculo amoris tui in tantum, ut nihil terreni continere possit, sed a sola efficacia amoris tui contineatur. Amen.

Oratio ad vulnus humeri.

O Iesu amantissime, Agne Dei mansuetissime, ego miser peccator saluto et veneror sacratissimum vulnus, quod in humero tuo, dum gravem crucis tuae trabem portares, persensisti: ob quod singularem

Digitized by Google

dolorem et cruciatum in benedicto corpore tuo sustinuisti. Adoro te, Iesu afflictissime, et ex intimo corde laudo, benedico et glorifico te gratiasque ago pro hoc sacratissimo poenosissimoque vulnere humeri tui, humiliter deprecans, ut ob nimium illum dolorem, quem illud tibi inflixit, et propter grave onus crucis tuae, quod te tam dire afflixit, miserearis mihi peccatori, peccata mea venialia et mortalia remittas meque per viam crucis tuae ad caelum deducas. Amen.

Oratio de passione Domini.

Antiphona.

Salvator mundi, salva nos, qui per crucem et sanguinem redemisti nos; auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

V. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

R. Quia per crucem tuam redemisti mundum.

Oremus.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui hora sexta pro redemptione mundi

Digitized by Google

crucis patibulum ascendisti et sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur, ut per virtutem et merita sanctissimae vitae, passionis et mortis tuae paradisi ianuas nos gaudenter introire concedas. Qui vivis etc.

Digitized by Google

PARS SEXTA.
DE BEATA MARIA VIRGINE.

Variae laudes Deiparae a Christo Domino B. Gertrudi intimatae.

(L. 3, c. 46.)

I.

Laudo te, piissime Iesu, per Cor tuum dulcisonum, in innocentia integerrimae virginitatis illius, qua dignissima mater tua te virgo concepit, virgo peperit et post partum virgo inviolata permansit: et imitata est tuam innocentiam, qua tu pro redemptione generis humani captus, ligatus, alapis et fustibus caesus diversisque contumeliis et opprobriis miserabiliter et immisericorditer es affectus.

Sequens Oratio ad singulas laudes repetatur.

Digitized by Google

Laudo et saluto te, Mater beatitudinum, dignissimum Spiritus Sancti sacrarium, per dulcissimum Cor Iesu Christi, Dei Patris tuique amantissimi Filii, orans, ut in omnibus indigentiis et in hora mortis nobis succurras. Amen.

II.

Laudo te, piissime Iesu, per Cor tuum dulcissimum, in humilitate illa placidissima, qua intemerata Virgo magis magisque habilitabatur ad te suscipiendum: et imitata est tuam humilitatem, qua tu iudex vivorum et mortuorum coram gentili homine iudicandus astare humiliter es dignatus pro redemptione generis humani.

Laudo et saluto etc.

III.

Laudo te, piissime Iesu, per Cor tuum dulcissimum in desiderio illo ferventissimo, quo piissima Virgo te Filium Dei de sinu summi Patris traxit in uterum suum virginalem: et imitata est te in illo desiderio ferventissimo, quo tu salutem humanam desiderasti, cum duris flagellis caesus, spinis

Digitized by Google

coronatus et crucem ignominiosissimam tuis fessis cruentatisque humeris cum summa mansuetudine et patientia dignatus es baiulare.

Laudo et saluto etc.

IV.

Laudo te, piissime Iesu, per Cor tuum dulcissimum, in spe illa securissima, qua caelica Virgo per bonam voluntatem et sanctam intentionem semper ad laudem tuam aspirabat: et imitata est te, qui, in alta crucis arbore suspensus, inter ipsas amarissimas mortis acerbitates, totis viribus anhelabas ad humani generis redemptionem, unde et clamabas: Sitio. In tantum scilicet salutem animae humanae sitiebas, ut, si necesse fuisset, adhuc duriora et amariora supplicia pertulisses teque ad universa pro redimendo homine gratis paratum obtulisses.

Laudo et saluto etc.

V.

Laudo te, piissime Iesu, per Cor tuum dulcissimum, in ardentissimo amore illo

Digitized by Google

mutuo, scilicet divini Cordis et intemeratae Virginis, qui divinitatem excellentissimam tenerrime coniunxit atque inseparabiliter counivit humanitati in utero virginali: et imitata est Virgo te, vitam viventium, in cruce prae amoris magnitudine morti amarissimae succumbentem ob humanam redemptionem.

Laudo et saluto etc.

VI.

Laudo te, piissime Iesu, per Cor tuum dulcissimum, in fide illa constantissima, qua B. Virgo sola tempore mortis tuae, recedentibus apostolis et desperantibus universis, in vera fide perstitit immobilis: et imitata est te in fidelitate illa, qua iam mortuus, de cruce depositus subsecutus es hominem etiam usque ad limbum inferni, unde ipsum omnipotenti manu misericordiae tuae eripiens transvexisti ad gaudia paradisi.

Laudo et saluto etc.

VII.

Laudo te, piissime Iesu, per Cor tuum dulcissimum, in perseverantia illa lauda-

Digitized by Google

bilissima, qua Mater tua dulcissima in omnibus bonis et virtutibus perseveravit usque in finem: et imitata est te tanta diligentia opus humanae redemptionis peragentem, quod etiam post obtentam amarissima morte veram hominis liberationem nec tamen omisisti corpus tuum incorruptibile humano more tradere sepulturae, ut demonstrares nihil omnino esse tam vile, quod pro salvatione hominis recusares.

Laudo et saluto etc.

Suppletio B. Virgini gratissima.

Dum B. Gertrudis quereretur Domino de neglegentia sua in hoc, quod numquam debita reverentia Matri eius deservisset, desiderans ut Dominus hoc suppleret eidem: tunc exsurgens Rex gloriae Cor suum deificum obtulit Matri suae, et per hoc persolvebatur omnis neglegentia ipsius. Hanc quoque suppletionem nos obtinere possumus hac vel simili oratione. (L. 4, c. 51 et l. 5, c. 31.)

O Iesu dulcissime, per amorem, quo pro nobis ex purissima Virgine incarnari et nasci dignatus es, ut pauperum tuorum defectus suppleres, obsecro te, ut per dulcissimum Cor tuum virgineae Matri tuae supplere digneris omnes defectus, quos

Digitized by Google

per neglegentiam et ingratitudinem multipliciter admisi in servitio et honore tam benignae Matris, cuius maternam clementiam in necessitatibus meis mihi semper fateor promptissime adfuisse. Pro cuius condigna gratitudine offer, quaeso, illi, piissime Iesu, dulcissimum Cor tuum superabundans omni beatitudine, exhibens ei in eodem omnem affectum tuum divinum, quo eam ab aeterno prae omni creatura gratuito in Matrem elegisti, praeservasti, creasti omnibusque virtutibus et gratiis incomparabiliter decorasti; nec non omnem benignitatem, qua ei umquam blanditus es in terris, cum te infantem in sinu suo foveret, omnemque fidelitatem, quam deinceps ei per omne tempus, quo cum hominibus conversatus es, filiali affectu exhibuisti, obediens ei in omnibus sicut filius matri, qui es gubernator caeli, et specialiter in hora mortis, dum, quasi proprii cruciatus oblitus et eius desolationi medullitus compassus, custodem eidem et filium providisti; insuper affectum dignationis illius inaestimabilis, quo eam in die

Digitized by Google

iucundissimae assumptionis suae super omnes choros angelorum exaltasti ac caeli terraeque dominam et reginam constituisti. Sicque redde eam, bone Iesu, mihi placabilem matrem atque in vita et morte mea piam advocatam et patronam. Amen.

Oblatio Cordis Iesu ad B. Virginem.

Laudo et saluto te, Virgo praedulcissima, in unione illa intima, qua Deo prae omnibus creaturis es coniunctissima. Et in suppletionem omnium neglegentiarum, quas in tuo, pia Mater, servitio commisi, offero tibi nobilissimum ac praedignissimum Cor Iesu Christi, cum omni affectu filialis dilectionis et fidelitatis, quem tibi supremo modo exhibuit in terris et deinceps sine fine exhibebit in caelis. Amen.

Deo gratias pro gratiis B. Virgini concessis.

Cum B. Gertrudis hanc oratiunculam orasset, exsurgens Mater gratiosa devote SS. Trinitati supplicabat, ut illi abundantissimam largiretur gratiam. Ad cuius petitionem tota Trinitas dignanter inclinata benedictione quadam supercaelesti animam ipsius coplose donabat. (L. 4, c. 51.)

Digitized by Google

Benedicta sit ineffabiliter digne extollenda Dei Patris omnipotentia; benedicta sit admiranda Filii Dei sapientia; benedicta sit Spiritus Sancti Paracleti stupenda benevolentia, qua praevaluit, scivit et dignata est Trinitas semper veneranda in salutis nostrae subsidium tam plenam omni gratia Virginem formare, cui superabundantiam divinae suae beatitudinis tam large communicaret. Amen.

Salutatiuncula aurea ad B. Mariam Virginem.

B. Gertrudis intellexit a SS. Virgine, si quis eam hoc modo salutet, in ipso eam permaxime ostendere velle, quam inaestimabiliter exuberet visceribus pietatis. Insuper adiecit: Etiam in exitu animae eius apparebo illi in florentia magnae venustatis et ad miram eius consolationem caelicam amoenitatem illi ministrabo. (L. 3, c. 19.)

Ave, candidum lilium fulgidae semperque tranquillae Trinitatis. Ave, rosa fulgida caelicae amoenitatis, de qua nasci et de cuius lacte pasci Rex caelorum voluit; adsis mihi misero peccatori nunc et in hora mortis meae. Amen.

Ave Maria aureum.

B. Mechtildi desideranti sublimissima salutatione B. Virginem salutare apparuit eadem Virgo aureis litteris in corde

Digitized by Google

suo gerens scriptam salutationem angelicam, dicens: Hanc salutationem nulla transcendit, nec umquam aliquis me dulcius salutare potuit, quam qui me salutat in illo honore, quo Deus Pater me salutavit. (P. 1, c. 42 lib. de B. Virg.)

Ave, Maria, in illo honore, quo Deus Pater per Ave te salutavit suaque omnipotentia ab omni vae culpae liberavit. Ave, Maria, in illo amore, quo Filius Dei sua sapientia te illuminavit clarissimumque sidus illuminans caelum et terram effecit. Ave, Maria, in illa dulcedine Spiritus Sancti, qua te totam penetravit adeoque gratiosam effecit, quod omnis, qui per te gratiam quaerit, eam inveniat. Admoneo te illius operationis, quam tota beatissima Trinitas in te operata est, cum carnis tuae substantiam cum natura divina in una persona adunaret, ita quod Deus fieret homo et homo Deus, ex quo quantam in illa hora dulcedinem et laetitiam conceperis, nullus homo plene valet experiri. Ideoque omnis creatura cum admiratione agnoscit et confitetur te benedictam et superexaltatam super omnes caelicas atque terrenas creaturas et benedictum fructum ventris tui

Digitized by Google

Iesum, qui omnia vivificat, sanctificat et benedicit in saecula. Amen.

Ave ex omnipotentia Patris; ave ex sapientia Filii; ave ex dulcissima bonitate Spiritus Sancti, Maria illuminans caelum et terram. Gratia plena, Dominus tecum, unicus Dei Patris unigenitusque virginei cordis tui Filius, dulcissimus sponsus et amicus tuus. Benedicta tu in mulieribus, quae repulisti Evae maledictionem et reportasti aeternam benedictionem. Et benedictus fructus ventris tui Iesus Christus et Creator omnium, omnia benedicens et sanctificans, omnia ditans et vivificans. Amen. (S. Mecht. P. 1, c. 11.)

Iubilus Marianus ad immaculate conceptam Virginem.

Ave, Virgo gloriosa,
Stella sole clarior,
Mater Dei gratiosa,
Favo mellis dulcior.

Tu es illa speciosa,
Qua nulla est pulchrior;

Digitized by Google

Rubicunda plus quam rosa,
Lilio candidior.
Omnis virtus te decorat,
Seraphinis purior;
Omnis sanctus te honorat,
In caelo sublimior. Amen.

Tres efficacissimae petitiones ad B. Virginem.

Cum B. Gertrudis has tres petitiones, quas a B. Virgine acceperat, orasset, donavit ei B. Virgo sua merita, quibus ita decorata fuit, ut Dominus maiestatis, ultra quam dici potest, sibi in ea complacuerit. (L. 4, c. 48.)

Beatissima Virgo Maria, rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei in utero tuo virginali placidissimam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari. Amen.

Beatissima Virgo Maria, rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros angelorum et sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes neglegentiae meae. Amen.

Beatissima Virgo Maria, deprecor te per amorem illum inaestimabilem, qui te inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis

Digitized by Google

precibus praestetur mihi copia diversorum meritorum. Amen.

Quinque gaudia B. Virginis.

Cum vice quadam B. Mechtildis gemens recogitaret, quod B. Virgini numquam, ut par erat, devota fuisset, ideoque a Christo peteret instrui, qualiter id suppleret: accepit eam ipse osque eius vulneri lateris sui applicans dicebat: Hinc haurias, quod Matri meae exhibere vis. Et advertit sequentes quinque salutationes, eousque numquam auditas, tamquam guttas in os eius stillare. (P. 1, c. 46 lib. de B. Virg.)

Ave, Virgo praeclarissima, in effluxu illo dulcissimo, qui e corde SS. Trinitatis ob beatissimam tuam aeternam praeordinationem in te effluxit.

Ave, Virgo sacratissima, in effluxu illo dulcissimo, qui e corde SS. Trinitatis ob tuam beatissimam conversationem et vitam in te effluxit.

Ave, Virgo nobilissima, in effluxu illo dulcissimo, qui e corde SS. Trinitatis per doctrinam et praedicationem Filii tui in te effluxit.

Ave, Virgo amantissima, in effluxu illo dulcissimo, qui e corde SS. Trinitatis cum

Digitized by Google

Filii tui amarissima passione et morte in te effluxit.

Ave, Virgo reverendissima, in effluxu illo dulcissimo, qui e corde SS. Trinitatis in te effluxit, cum omni gloria, magnificentia praedulcique gaudio, quo nunc exsultas et in aeternum exsultabis, tamquam electa super omnes creaturas in caelo et in terra, antequam terra formaretur et orbis. Amen.

Ad Ecce Ancilla.

B. Virgo dicebat ad B. Gertrudem: Quicumque me istius gaudii, quod ad illud verbum „Ecce Ancilla" sensi, devote admonuerit, huic veraciter ego demonstrabo, quod sim mater eius, illique fideliter succurram. (L. 4, c. 12.)

Laudo et saluto te, Mater beatitudinum, dignissimum Spiritus Sancti sacrarium, et devota mentis intentione admoneo te illius ineffabilis gaudii, quod persensisti, quando in verbo illo *Ecce Ancilla Domini* te totam et omnia circa te agenda cum plena fiducia divinae voluntati commisisti: orans, ut monstres te esse matrem, mihique semper succurras per viscerum misericordiae affluentiam salutarem. Amen.

Digitized by Google

Suspiria peccatoris ad Mariam.

Memorare, o piissima, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia aut tua implorantem suffragia a te derelictum. Ad hoc enim datus est tibi veniae fons in filium, ut omnibus gratia egentibus eam obtineas, et multitudinem peccatorum ac defectuum nostrorum operiat caritas tua copiosa. Igitur tali animatus fiducia ad te confugio, coram te miser et immundus peccator consisto. Ah ne spernas me propter innumera gravissimaque peccata mea nec abicias me propter nimiam immunditiam et duritiam cordis mei. Tu scis, o Maria, quam profunde peccatis et vitiis immersus sim quamque iuste gravissimam Filii tui iram promeruerim. Ne excludas me, o piissima, a gratia tua, quia post Deum tu maxima mea fiducia, tu unica et summa salutis meae ratio. Tantam enim de te concepi fiduciam, ut mihi in animum inducere nequeam me posse perire, quamdiu te amo tibique servio. O sacratissima Mater Dei et hominis, gaudium omnium

Digitized by Google

sanctorum, solamen omnium miserorum, refugium omnium pauperum, per illam suavitatem et delectationem ineffabilem, quam olim persensisti, dum in utero virginali incomprehensibilis divinitas carnem ex te sumens dignata est se humanae naturae counire: rogo, digneris causam meam in te suscipere meque eidem Filio tuo dilectissimo reconciliare. Monstra, o Mater, ubera, quibus eum nutrivisti; ostende ipsi bracchia, quibus eum amplexata es; enumera illi omnes labores et dolores, quos pro eo sustinuisti, et tuum illud mellitissimum cor totum amoris igne flagrans illi exhibe, ut eum mihi reddas placabilem atque propitium. Eia, advocata mea fidelissima, illos tuos misericordes oculos ad me indignissimum famulum tuum converte, et propter suavitatem deliciositatis illius ineffabilis, qua in transitu de hoc mundo ad caeli palatium innixa delicate supra dilectum tuum fruebaris, in hora mortis meae mihi assistere digneris atque in eadem hora terribili sanctissimae Trinitati pro me offerre merita placidissimarum dignitatum illa-

Digitized by Google

rum, quibus in die assumptionis tuae supra omnem humanam et angelicam dignitatem praeparata ipsi summe complacuisti. Amen.

Invitatio B. Virginis ad suum obitum.

Sacratissima Virgo Maria, in illo amore et fidelitate, qua Filius tuus in cruce pendens te B. Ioanni commendavit, commendo tibi animam et corpus meum, cogitationes, verba et opera mea, vitam et mortem meam, maxime autem extremum illud vitae meae momentum, a quo pendet aeternitas. Et sicut tu ad beatum tuum transitum Filium tuum invitasti, ita et ego ad transitum meum te invito: rogans per amorem illum, quo Filio tuo morienti astitisti, perque amaras lacrimas, quas fudisti, quando eum inclinato capite amarissime exspirantem vidisti, ut et mihi materna benignitate tua assistere et nequaquam emanere velis, quia sine te nequaquam pie mori me posse confido. Ne deneges mihi, o Mater benignissima, petitionem hanc meam, quam a te devotissimo corde deposco, quia, si sine te moriar, non immerito vereor, ne

Digitized by Google

aeternaliter peream. Quomodo enim ego pauperculus et fragilis nimis in tam multiplicibus gravissimisque hostium insultibus subsistam, nisi mihi adfueris? Quomodo in districtissimo illo iudicio divino comparebo, nisi te mihi comitem et advocatam exhibueris? Quomodo de peccatis meis innumeris et omnem enormitatem superantibus rationem reddam, nisi tu illa apud Filium tuum excuses eorumque mihi veniam impetres? Inclina igitur aurem tuam precibus meis, o beatissima, et ob amorem dilecti Filii in extremis meis mihi assiste, ut sub tua protectione gravissimis illis periculis erutus ad caelestia gaudia tecum pervenire valeam. Amen.

Tria Ave Maria pro felici fine.

Quadam vice rogabat S. Mechtildis beatissimam Virginem, ut sibi in hora mortis assisteret. Cui illa: De hoc certa sis, si mihi in dies trinam salutationem (modo quo sequitur) persolveris. (P. 1, c. 47 lib. de B. Virg.)

1. Ave, Maria, etc. *usque ad illa verba:* Sancta Maria, Mater Dei, sicut Deus Pater secundum magnificentiam omnipotentiae suae te super omnes creaturas exaltavit

Digitized by Google

atque potentissimam effecit, ita mihi, quaeso, adsis in hora mortis meae expellendo a me omnem contrariam potestatem. Amen.

2. Ave, Maria, etc. Sancta Maria, Mater Dei, sicut Filius Dei secundum excellentiam inscrutabilis sapientiae suae tanta te cognitione et claritate replevit, ut prae omnibus sanctis maiorem SS. Trinitatis cognitionem habeas: ita in hora mortis meae animam meam cognitione fidei illustres, ne ullo errore aut ignorantia pervertatur. Amen.

3. Ave, Maria, etc. Sancta Maria, Mater Dei, sicut Spiritus Sanctus dulcedinem amoris sui ita plene tibi infudit, ut post Deum dulcissima et benignissima sis: ita in hora mortis dulcedinem divini amoris mihi infundas, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima. Amen.

B. Gertrudis hanc a Domino percepit eruditionem, ut ad minus cotidie Matrem suam beatissimam per ista duo verba, scilicet:

Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte,

invocaret, certa, quod per hoc in hora sua novissima non mediocre solatium obtineret. (L. 4, c. 51.)

Digitized by Google

Gladii doloris, qui cor B. Virginis in passione Filii sui pertransierunt.

Primus doloris gladius.

Maestissima Virgo Maria, admoneo te illius gladii doloris, qui animam tuam pertransivit, quando dilectissimus Unicus tuus in mortem iturus tibi valedixit maternamque tuam benedictionem a te expetiit. Recordare, o Mater afflictissima, quomodo cordi tuo erat, cum tuae deliciositatis amantissimus Unicus iamiam discessurus te dulcissime amplexabatur maestissimaque voce ac lacrimantibus oculis tibi valedicebat. Recordare gemituum, recordare lacrimarum, quas utrimque fudistis, quando piissima illa Corda vestra fortissimo amoris nexu sibi invicem agglutinata discindebantur atque acutissimo doloris vulnere transverberabantur. Per tristissimum hunc discessum Filii tui et per amarissimas quas fudisti lacrimas deprecor te, o Maria, ut, quando in extremis omnibus amicis meis valedicere debebo et anima mea a corpore separabitur, mihi assistas tuaque materna

Digitized by Google

benedictione contra insidias inimici me tuearis. Amen.

Secundus doloris gladius.

Afflictissima Virgo Maria, admoneo te illius gladii doloris, qui animam tuam pertransibat, cum tibi a B. Ioanne intimaretur Filium tuum a Iuda proditum, a Iudaeis captum et ad Annam et Caipham adductum, ibidem blasphemari, illudi, conspui, contundi atque omnibus contumeliis et opprobriis saturari. Recordare, o afflictissima, quomodo tristissimum illud verbum cor tuum penetraverit. Recordare, quot gemitus, suspiria et lamentationes protuleris totamque domum fletibus impleveris, dicens: Iesu, fili mi, fili mi Iesu, quis det mihi, ut moriar pro te, Iesu, fili mi, fili mi Iesu! Per acutissimum hunc doloris gladium deprecor, o Maria, ut in ultima hora, quando cor meum prae mortis angustia contremiscet, me sanctissima tua praesentia exhilarare et, ne in desperationis barathrum incidam, praeservare digneris. Amen.

Digitized by Google

Tertius doloris gladius.

Tristissima Virgo Maria, admoneo te illius gladii doloris, qui animam tuam pertransivit, quando Filium tuum a Pilato foras productum aspexisti toto corpore dilaceratum, spinis coronatum, sanguine cruentatum, sputis maculatum et non habentem speciem neque decorem. Memorare, o tristissima, quomodo cordi tuo erat, dum audires Iudaeos clamantes: Tolle, tolle, crucifige eum! Memorare acutissimi vulneris, quod cordi tuo inflictum fuit, dum audires exsecrandae mortis sententiam a Pilato pronuntiari. Memorare compassionis et doloris, qui materna viscera tua penetravit, dum videres Filio tuo crucem imponi atque cum maxima ignominia ad montem Calvariae deduci. O quis numerabit lacrimas, quis numerabit suspiria, quis recensebit dolores afflictissimi cordis tui! Compatior tibi, o Mater desolatissima, teque humillime deprecor, ut in iudicio illo districtissimo, quo in morte iudicandus accusationibus daemonum praegravabor,

Digitized by Google

mihi assistere atque omnes adversarios meos a me pellere digneris. Amen.

Quartus doloris gladius.

Desolatissima Virgo Maria, admoneo te acutissimi illius doloris gladii, qui animam tuam transverberavit, quando dilectissimum Filium tuum cum Cruce elevatum tribus clavis affixum primitus aspexisti. Ah, tristissima Mater, quomodo possibile erat animam tuam in corpore tuo permanere posse? Ah, quomodo possibile erat, quod oculi tui prae lacrimis non deficerent? Memento tristitiae, quam habuisti, dum eum blasphemari, felle et aceto potari et ipsis latronibus peiorem aestimari duriusque tractari videres. Memento maeroris tui ineffabilis, dum videres eum prae vehementia doloris et amoris deficere, ora pallere, artus contremiscere, oculos diffringi et tandem cum dolore quodam inaestimabili rupto Corde cum clamore valido exspirare. Per dolores hos incomparabiles et per singultus et lacrimas oculorum tuorum innumerabiles deprecor te, Mater de-

Digitized by Google

solatissima, ut eodem amore, quo Filio tuo morienti astitisti, in extremo spiritu meo, quando cor meum prae mortis angustia dirumpetur, mihi assistere animamque meam e corpore exeuntem in manus tuas suscipere digneris. Amen.

Quintus doloris gladius.

Dolorosissima Virgo Maria, admoneo te illius gladii doloris, qui animam tuam pertransivit, quando Filium tuum de cruce depositum in sinum tuum accepisti lacrimisque totum corpus eius rigasti. Quid, quaeso, cor tuum persensit, cum caput spinis undique transfixum, latus lancea percussum, manus et pedes diris clavis confixos, faciem et genas convulsas sputisque foedatas totumque corpus vulneribus laceratum, livoribus tumidum sanguineque maculatum videres! O Mater maestissima, quot oscula faciei eius dedisti, quot lamentis mortem eius deflevisti! O Mater derelictissima, per omnes gemitus et suspiria cordis tui, per omnes dolores et vulnera animae tuae rogo, consolare animam meam in

Digitized by Google

exitu suo, ablue eam lacrimis tuis et suscipe eam in materna bracchia tua, sicut exanime corpus Filii tui suscepisti, atque ad gaudia caeli deducas. Amen.

Litaniae lauretanae [1].

(Indulg. 300 dier. Pius VII. 30. Sept. 1817.)

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de caelis, Deus, — miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus, [2]
Spiritus Sancte, Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Sancta Maria, — ora pro nobis.
Sancta Dei genetrix, [3]
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,

---

[1] Ab editore insertae.
[2] Miserere nobis.
[3] Ora pro nobis.

Digitized by Google

Mater purissima, — ora pro nobis.
Mater castissima, [1]
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum iustitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,

[1] Ora pro nobis.

Digitized by Google

Domus aurea, — ora pro nobis.
Foederis arca,[1]
Ianua caeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium christianorum,
Regina angelorum,
Regina patriarcharum,
Regina prophetarum,
Regina apostolorum,
Regina martyrum,
Regina confessorum,
Regina virginum,
Regina sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,
Regina sacratissimi rosarii,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis, Domine.
Agnus Dei etc., — exaudi nos, Domine.
Agnus Dei etc., — miserere nobis.

[1] Ora pro nobis.

Digitized by Google

Antiphona.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiae, genetrix vitae, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostrae corruptionis, et humilitas Deo grata nostrae veniam impetret vanitati, copiosa caritas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum: Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra.

V. Ora pro nobis, sancta Dei genetrix.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, qui B. Mariam semper Virginem prae omnibus creaturis tibi in Matrem eligere atque eandem per incontinentissimam pietatem tuam omnigenis gratiarum fluentis irrigare, fecundare et beatificare dignatus es; im-

Digitized by Google

mensam clementiam tuam suppliciter exoramus, ut ob amorem illum, qui in intimis tuis tam fortiter erga illam exarsit, peccatis nostris parcere atque meritis eiusdem superdignissimae Matris tuae nos tibi gratos efficere digneris. Qui vivis etc.

Digitized by Google

PARS SEPTIMA.
ORATIONES DE SANCTIS.

Instructio valde utilis, quomodo sancti colendi sint.

B. Gertrudis habebat in more, quando sanctum aliquem colere volebat, agere Deo gratias pro beneficiis ipsi collatis, recitando aliquoties Psalmum „Laudate Dominum, omnes gentes“. Unde intellexit, quod, quandocumque aliquis gratias agit Deo pro sancto aliquo, Dominus de merito sancti illius auget gratiam in anima eius, qui pro eo gratias persolvit. (L. 4, c. 49.) Et cum quando personas aliquas meritis S. Bernardi videret decoratas, multum admirabatur, cum illae similia opera non fecissent. Cui S. Bernardus: „Quid“, inquit, „minus habet pulchritudinis puella, quae decoratur ornamentis alienis, quam illa, quae ornatur propriis? Sic virtutes sanctorum devotione fidelium (quando pro his Deum laudant) a sanctis obtentae tanto ad eos diriguntur affectu, quod ipsi aeternaliter de illis gaudebunt.“ Hoc igitur et tu observa, et siquidem clericus es, quotiescumque in divino officio dicis „Gloria Patri“, toties caput inclina cum intentione Deo agendi gratias pro gratiis illi sancto, cuius festum colitur, collatis.

Alia quadam vice B. Gertrudis obtulit B. Virgini centum et quinquaginta Ave Maria. Et ecce omnia verba, quae legerat,

Digitized by Google

videbantur in specie aureorum denariorum aeterno iudici praesentari. Intellexitque, quod, quando aliquis finem vitae suae cuivis sanctorum specialibus orationibus commendat, statim illae orationes deferuntur ante tribunal iudicis: et ille sanctus, cui lectae sunt, constituitur a Deo advocatus super eas, ut inde animae sibi devotae bona provideat tempore opportuno. (L. 4, c. 51.)

Similiter B. Mechtildis interrogabat quandam defunctam suam sodalem gloriose sibi apparentem, dicens: „Dic mihi, dilecta soror, quid utilitatis inde habes, quando pro te oramus?“ Et illa: „Omnia verba accipio de ore vestro tamquam pulchras rosas, quas cum gaudio offero Dilecto meo.“ Tunc ostendit illi in pallio suo pulcherrimas rosas, in medio habentes aureum folium. Et cum interrogaretur, quid denotaret illud aureum folium, respondit: „Denotat illas orationes, quae fiunt ex caritate, absque obligatione.“ Et addidit: „Quotiescumque aliquis in honorem sancti cuiusdam aliquid orat, singula verba accipit de ore eius tamquam vernantes rosas.“ Et si omnibus sanctis simul unum Pater noster diceres ea intentione, quod, si posses, libenter singulis unum diceres, hoc ita acceptant, ac si singulis unum orasses. (P. 5, c. 2.)

Est etiam sanctis gratissimum, quando quis eos per Cor Christi salutat, et multo magis, si quis id ipsum illis offerat, quia per illud et in illo maius habent delectamentum, quam quisquam illis posset exhibere. (Rev. S. Gert. l. 4, c. 2.)

Ad S. Michaelem archangelum.

Salve, princeps gloriosissime, Michael archangele. Salve, nobilissime dux superni exercitus. Salve, decus et gloria caelestium hierarchiarum. O princeps illustrissime,

Digitized by Google

tu summe obligatus es Creatori tuo, qui absque ullis tuis meritis te tanta excellentia ditavit tantisque virtutibus exornavit. O heros augustissime, ornamentum paradisi gemmaque praefulgida caelestis palatii. *Tu signaculum similitudinis* [1], *plenus sapientia et perfectus decore. Omnis lapis pretiosus ornamentum tuum, aurum opus perfecti decoris tui. In deliciis paradisi Dei perambulas, in medio lapidum ignitorum, in monte sancto Dei.* Tu a Deo constitutus es princeps super omnes animas suscipiendas et ad paradisum exsultationis introducendas. Admoneo te, o beatissime princeps, harum omniumque gratiarum, quas incontinentissima Dei liberalitas prae omnium angelorum ordinibus tibi contulit, rogans per amorem mutuum divini et angelici cordis tui, ut in die obitus mei animam meam suscipere tuaque intercessione clementem mihi iudicem efficere digneris. Amen.

---

[1] Verba haec cum sequentibus desumpta sunt ex Ez. 28, 12 sqq.

Digitized by Google

Ad angelum custodem.

Angele Dei sacratissime, mihi a Deo in custodiam deputate, gratias tibi ago pro omnibus beneficiis, quae mihi in corpore et anima umquam exhibuisti. Laudo et glorifico te, quod mihi miserrimo tàm fideliter adstare meque contra omnes hostium insultus tueri dignaris. Benedicta sit illa hora, qua mihi in custodiam datus et in defensorem atque patronum deputatus es. Benedicta sit tua in me caritas omnisque tua sollicitudo, qua salutem meam promovere non cessas. In recompensationem omnium obsequiorum mihi a iuventute exhibitorum offero tibi praedignissimum nobilissimumque Cor Iesu Christi, sicut est superabundans omni beatitudine, rogans mihi ignosci, quod toties sanctis tuis inspirationibus renitendo te carissimum amicum meum contristaverim, atque deinceps firmiter proponens tibi oboedire Deoque meo fideliter servire. Amen.

Digitized by Google

Ad S. Ioannem evangelistam.

B. Ioannes specialis B. Gertrudis patronus fuit, quem illi Christus assignavit docens eam, ut cotidie unum Pater noster ipsi diceret, admonendo eum illius fidelitatis etc., ut sequitur. (L. 4, c. 4.)

O Beate Ioannes evangelista, admoneo te illius praedulcis fidelitatis, quam cor tuum sensit, cum Christus te ceterosque apostolos orationem dominicam doceret, orans, ut mihi obtinere digneris, quo secura ipsi semper perseverantia merear usque in finem vitae meae fideliter adhaerere. Pater noster.

Ad S. Benedictum.

S. Benedictus dicebat ad B. Gertrudem: Quicumque me admonere studuerit illius dignitatis, quod stans et orans obierim, huic ego in hora mortis suae tali fidelitate volo adesse, ut opponam me ex omni parte, qua videbo insidias inimicorum nocivius contra ipsum saevire. (L. 4, c. 11.)

Patriarcha gloriosissime, Sancte pater Benedicte, admoneo te illius dignitatis, qua te Dominus tam glorioso fine dignatus est honorare, quod ultimum spiritum tuum inter verba orationis efflaveris: ex quo

Digitized by Google

adhuc tam suaviter spiras prae aliis sanctis, quod omnes in efflatu tuo mirifice delectantur: rogans, ut in hora mortis meae tali fidelitate mihi velis adesse, quod opponas te ex omni parte, qua videris insidias inimicorum nocivius contra me saevire: ut tua praesentia munitus laqueos inimicorum evadam securus ac caeli gaudia petam sine fine beatus. Amen.

Ad S. Mariam Magdalenam.

B. Magdalena dicebat ad B. Mechtildem: Quicumque Deo gratias egerit pro lacrimis, quas ad pedes Iesu effudi, eumque oraverit pro obtinendis lacrimis verae paenitentiae ac pro vero amore, huic benignissimus Dominus meritis meis concedet, ut ei ante mortem suam peccata remittantur, et in amore Dei proficiat. (P. 1, c. 25.)

Gratias tibi ago, benignissime Iesu, pro illo pietatis opere, quod B. Maria Magdalena tibi exhibuit, quando lacrimis pedes tuos rigabat et capillis capitis sui tergebat eosque osculabatur et unguento ungebat, ex quo tantam caritatis tuae abundantiam cordi et animae eius infudisti, quod extra te nil posset diligere: rogans, ut meritis eiusdem lacrimas verae paenitentiae mihi

Digitized by Google

concedere divinumque amorem cordi meo infundere digneris. Amen.

Gratiarum actio pro gratiis B. Gertrudi concessis.

Laudo, benedico et adoro te, benignissime Domine Iesu Christe, fontale lumen sempiternorum luminum, gratiasque tibi ago per mutuam gratitudinem colendae semper et adorandae Trinitatis, pro exuberantissima divinae pietatis tuae supereffluentia, qua irrigasti, fecundasti tibique indissolubiliter conglutinasti cor et animam dulcissimae sponsae tuae B. Gertrudis. Benedicta sit superdignissima divinae pietatis tuae dignatio, quae te adeo *gratia* ac favore ad fidelissimae dilectricis tuae animam inclinavit, ut te tota affectione *inter* eius amplexus tamquam captivum tradideris. Rogoque te cum desiderio et *affectu* omnium creaturarum, per mutuum divini Cordis ac praedulcissimae sponsae tuae amorem, ut animam meam vitiorum sordibus expurgare verisque virtutibus ac spiritualibus gratiis ditare velis. Amen.
(*Cf.* B. Gert. l. 5, c. 29.)

Digitized by Google

Petitio ad Christum, per merita B. Gertrudis offerenda.

Gratias tibi referat, piissime Iesu, omnium bonorum gratiarumque largitor, quidquid caeli ambitus terraeque circuitus et maris complectitur abyssus, tibique laudem illam tribuat immensam, aeternam et incommutabilem, quae a te procedens refluit in te ipsum, pro exuberante illa pietate, qua miserationum gratiarumque tuarum torrentem in cor et animam dilectissimae sponsae tuae Gertrudis tam exuberanter direxisti, in qua tamquam in organo instrumentoque tuo peculiari tuae pietatis arcana mundo manifestasti. Gratias igitur tibi ago, qualescumque possum, ex intimis medullis mentis meae, tibique ex parte omnium caelestium, terrestrium et infernorum supplico per ineffabilem illum tuae divinitatis amorem, quo fidelissimam dilectricem tuam ab aeterno ad tuam specialem gratiam elegisti temporeque placito tam suaviter attraxisti et familiariter tibi univisti tamque iucunde in anima eius

Digitized by Google

habitasti et tandem cursum vitae eius tam beato fine consummasti, ut petitionem meam benignus audire et clementer exaudire digneris. Admoneo te, piissime Iesu, illius divinae veritatis tuae promissi, quod dilecta tua ab incontinentissimae pietatis tuae superefluentia accepit, quod scilicet illius preces, qui per merita ipsius te rogaverit, indubitanter velles adimplere, si salubria essent, quae peteret: insuper obligans te, si ad tempus dispensative petitionis effectum subtraxeris, postmodum triplici lucro id persoluturum ex parte omnipotentiae, sapientiae et benignitatis virtuosae Trinitatis. Huius ergo fidelissimi pacti tui devote te admonens rogo, ne me desolatum dimittas, sed petitionis meae salutarem mihi tribuas effectum. Amen.

Oratio ad S. Gertrudem.

Laudo et saluto te, beata virgo Gertrudis, per dulcissimum Cor sponsi tui Iesu Christi, et per id ipsum collaudo immensam bonitatem et dignationem semper venerandae Trinitatis pro omni gratia, quae ex ipsius

Digitized by Google

supereffluentia abyssali umquam defluxit in salutem tuam: supplicans per mutuum divini Salvatoris et virginei cordis tui amorem, ut in vita et morte me tibi commendatum habeas et fidelissima mea apud Deum advocata exsistas. Amen.

Ad B. Gertrudem in tentatione.

Quaedam persona adeo gravata cogitationibus, ut iam ad delectationis ferme consensum raperetur, panniculum quendam de involumento pedum B. Gertrudis abiectum levavit et cordi suo cum fiducia imposuit, dicens:

Domine Iesu, per illum amorem, quo cor electae tuae ab omni affectione mundana purum tibi uni ad inhabitandum atque spiritualibus donis implendum elegisti, perque eiusdem merita et intercessionem rogo, ut digneris me ab hac tentatione liberare. Amen.

Et confestim ut haec oravit, omnis tentatio eam descruit (l. 1, c. 2). Quod ipsum et tu imitari poteris, imaginem eiusdem Sanctae cordi tuo imponens.

S. Franciscus Fratrem quendam tentatum monuit, ut cum devotione diceret: „Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.“ Quo dicto tentatio evanuit. Et id saepe cum fructu probatum est.

Digitized by Google

Commendatio ad B. Gertrudem.

In tuam sacratissimam intercessionem gloriosaque merita commendo me, o praedignissima sponsa Christi, B. Gertrudis, devote deprecans, ut digneris sincerum meum in te amorem firmissimamque cordis mei in tuo patrocinio confidentiam respicere nomenque meum in numerum eorum, quos singulariter amas atque tueris, collocare: ut tua interventione ab amore Christi numquam valeam separari.

V. Ora pro nobis, B. Gertrudis.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Domine Iesu Christe, sponse castarum mentium, offero tibi hanc orationem meam in unione amoris illius, quo mortem pertulisti eamque cum omni fructu sanctissimae humanitatis in die ascensionis tuae Deo Patri praesentasti: rogans per amorem illum, quo sponsae tuae tam dulciter te acclinasti, ut eius meritis et precibus

Digitized by Google

me tibi placentem reddas et ad vitam perducas aeternam. Qui vivis.

Congratulatio ad B. Mechtildem.

Congratulor et congaudeo tibi, o immaculata sponsa Dei, B. Mechtildis, gratiasque ago dulcissimo sponso tuo Iesu Christo, pro immensis gratiarum thesauris, qui ex ipsius superefluentia abyssali umquam in salutem tuam defluxerunt: devotissime rogans, ut ex fervore divinae caritatis tepido cordi meo calorem fervidum ministrare et in unione passionis ac mortis Christi mihi in peccatis languido medelam conferre atque securitatis tutelam praestare digneris. Amen.

Gratiarum actio pro gratiis B. Mechtildi collatis.

Gratias ago bonitati tuae, Deus, gratias dignationi tuae, pro eo quod dilectam tuam B. Mechtildem ad tantam gratiam elegeris tamque immensis virtutum donis ornaveris. Congaudeo tibi gratiasque ago, piissime Iesu, pro omni bono, quod in ea operatus

Digitized by Google

es aeternumque operaberis. Gratias tibi ago pro supereffluenti gaudio suavissimaque tranquillitate, quam in ea habuisti. Gratias tibi ago pro amoenissimo influxu, quo te ei acclinasti, gratias pro sacra spiritus tui operatione, quam in ea perfecisti, et demum gratias ago pro perfectissima fruitione, qua in ea deliciatus es: devote rogans, ut me meritorum eius participem reddere virtutumque eius fulgoribus exornare velis. Amen. (Iuxta Rev. B. Mecht. P. 5, c. 26.)

Oratio ad quemcumque martyrem.

Saluto et veneror te, sacratissime martyr Christi, Sancte N. Adoro, laudo et glorifico immensam bonitatem et dignationem semper venerandae Trinitatis pro omni gratia, quam ex sua infinita bonitate tibi conferre dignata est. Benedico incontinentissimam divinae pietatis liberalitatem, quae tam suaviter in benedictionibus dulcedinis te praevenit atque triumphali martyrii laurea gloriose decoravit in caelis. O beatissime martyr Christi, Sancte N., invictissime

Digitized by Google

miles purpurati exercitus; tu stabilimentum fidei et columna fortitudinis; tu gloriosus heros ecclesiae, decor et gloria paradisi, benedictus es inter martyres et gloriosus specie inter caeli incolas. In augmentum gloriae et beatitudinis tuae offero tibi praedignissimum Cor Iesu Christi, sicut illud in unione humanitatis possedit repletum et perfectum in omnibus bonis, quae umquam de eodem in aliquod cor humanum profluxerunt: devotissime tibi supplicans per omnes et singulas sanguinis tui guttas, quas fudisti, per omnia dirissima vulnera, quae suscepisti, et per acerbissimos dolores, quos in corpore, corde et anima tua sustinuisti, ut in hora exitus mei, quam tibi sincera fidelitate commendo, mihi tuo auxilio adesse velis atque in suppletionem meritorum, quae mihi deerunt, Iesu Christo iudici meo illas virtutes offerre, per quas te cognoscis ipsi maxime complacere. Amen.

Ad quemlibet confessorem.

Salve, Sancte N., confessor Christi egregie, decus et ornamentum ecclesiae.

Digitized by Google

Tu rosa vernans caritatis, lilium virginitatis, stella fulgens sanctitatis, quasi stella matutina in medio nebulae et quasi luna plena in diebus suis, sic effulsisti in decore virtutum tuarum. O beatissime N., quantas Deo gratias persolvere obligaris pro omnibus bonis, quae tibi exhibuit, dum te inscrutabili sapientia sua ab aeterno elegit, gratis iustificavit et gratia sua dignum effecit, quodque te tam praevalenti fortique amore ab omni miseria liberaverit omniaque tua, non solum bona verum et mala, ad tuam utilitatem salutemque converterit. Gratias igitur age dulcissimo creatori tuo, et ego una tecum magnifico et superexalto omnipotentiam, sapientiam atque bonitatem superdignissimae Trinitatis, qua praevaluit, scivit et dignata est te ad tantam vitae sanctimoniam eligere et in regno gloriae suae corona iustitiae condecorare. O sacratissime Christi amice, Beate N., memento mei miserrimi peccatoris, tota cordis devotione te invocantis. Commendo tibi vitam et mortem meam, maxime autem extremum spiritum meum:

Digitized by Google

obsecrans per amorem, quo tam ferventer Deo adhaesisti tamque devote ei servisti, ut in satisfactionem peccatorum meorum Domino offerre digneris omnes mortificationes, austeritates et paenitentias, quas pro gloria nominis eius sponte susceptas summo amore perfecisti. Amen.

Ad quamcumque virginem et martyrem.

Salve, gloriosa virgo et martyr, Sancta N., salve, dulcissima sponsa Christi, vas electionis Spiritus Sancti; sicut rosa inter spinas et sicut stella inter nebulas, sic effulsisti in tenebris gentilitatis. Saluto et benedico te millies in unione illa, qua amans anima unus spiritus fit cum Deo, gaudeoque et exsulto ob gloriosi certaminis victoriam, quam de hoste reportasti. Gratulor tibi de duplici virginitatis et martyrii corona, quibus condecorata resplendes sicut stella firmamenti. In augmentum gaudii, gloriae et beatitudinis tuae offero tibi mellifluum Cor Iesu Christi, cum omni filiali affectu, quem habuit ad Deum Patrem in divinitate et ad Mariam Matrem in humani-

Digitized by Google

tate, atque per id ipsum commendo me speciali tuae fidelitati et patrocinio, ut per sanctissimam passionem et mortem tuam et per merita virginei sanguinis tui in vita et morte mea indulgentiam peccatorum et divinae gratiae subsidium obtinere merear. Amen.

Ad quamcumque virginem.

Ave, virgo gratiosa, immaculata Iesu sponsa, Sancta N.; tu es plena gratia et dilectione, nitens decore, resplendens caritate. O Beata N., admoneo te illius ineffabilis gratiae, quam Christus tibi praestitit, dum ab utero matris te sibi segregavit et in numerum adulescentularum suarum cooptavit. Benedicta sit niveae puritatis tuae integritas castissimique amoris tui suavitas, quia *in uno crine colli tui* et *in uno oculorum tuorum* Regem Dominum in amorem tui inclinasti[1]. Tu candens lilium virginitatis, immarcescibilis flos integritatis, quae omnes sanctos *in odorem unguentorum tuorum trahis*[2] et admirabili decore claritatis tuae exhilaras et reficis.

[1] Cant. 4, 9. [2] Ibid. 1, 3.

Digitized by Google

Tu agnus sine macula, induta vellus niveum castitatis, sequeris agnum, quocumque ierit, et dulci modulamine cantas canticum virginum. Rogo te, Beata N., per amorem, quo Christus tibi aeternae beatitudinis praemia largitur, tua sanctissima innocentia dele maculas nimis multarum corruptionum mearum tuaque integerrima virginitate operi sordes spurcitiarum mearum, et per gratiam, quam apud Deum invenisti, fac, ut deinceps numquam contra castimoniae puritatem cogitatione, verbo et opere delinquam. Amen.

Ad sanctum vel sanctam, cuius festum celebratur.

Laudo, glorifico et benedico te, o Sancte (Sancta) N., et ex omni virtute mentis meae gratulor tibi de omni gloria et honore, qui ex incontinentissima divinae pietatis supereffluentia hodierna die tibi praestitus est. Admoneo te supereffluentissimi illius gaudii, quo exsultabas, dum per ministerium ss. angelorum conspectui gloriae Domini aeternis praemiis remunerandus (-da) prae-

Digitized by Google

sentareris. Recordare, o beatissime (-a), illius honoris et exsultationis, quando per manum Domini diadema regni capiti tuo impositum et sacratissima anima tua in sede gloriae collocata est. Propter haec aliaque gratiarum dona, a Domino maiestatis tibi umquam collata, adoro, laudo et benedico ineffabilem Dei benignitatem, pro eo, quod nectarei torrentes suae mellitae pietatis tam copiose inundaverint super te. Et in vinculum perpetuae dilectionis et fidelitatis, quo te mihi alligare desidero, offero tibi suavissimum omnisque boni contentivum Cor Iesu Christi, una cum omni dilectionis et dignationis affectu, quem tibi umquam exhibuit in terris et modo sine fine exhibet in caelis. Demum plena fidelitate commendo me tuis sanctis orationibus, orans et obsecrans, ut in die obitus mei in supplementum neglegentiarum mearum Domino offerre digneris omne studium et praeparationem, qua hodierna die assumptionis tuae perfectissime consummatus (-ta) coram Domino astitisti. Amen.

Digitized by Google

Oratio brevior ad sanctum, cuius festum colitur.

Veneror et saluto te, o beatissime (-a) N., per dulcissimum Cor Iesu Christi, et ex animo tibi congratulor de illo honore, quo hodierna die assumptionis tuae a Deo et tota caeli curia es affectus (-a). In augmentum gaudii et gloriae tuae offero tibi id ipsum superdignissimum Cor Iesu Christi: rogans, ut Deum pro me exorare mihique in morte mea assistere digneris. Amen.

Invocatio omnium sanctorum, quam Christus B. Mechtildem docuit et orare iussit.

(P. 1, c. 31.)

Sancti patriarchae et prophetae, saluto vos per dulcissimum Cor Iesu Christi: rogans, ut Deo pro me offerre dignemini vestrum ardens desiderium, quod ad incarnationem Christi habuistis.

Saluto vos, o sancti apostoli, per dulcissimum Cor Iesu Christi: rogans, ut Deo pro me offerre dignemini fidelitatem

Digitized by Google

et constantiam vestram, qua cum Christo in tentationibus suis permansistis et praedicatione vestra fidelem populum congregastis.

Saluto vos, o sancti martyres, per dulcissimum Cor Iesu Christi: rogans, ut Deo pro me offerre dignemini vestram patientiam, qua sanguinem vestrum pro amore Christi effudistis.

Saluto vos, o sancti confessores, per dulcissimum Cor Iesu Christi: orans, ut Deo pro me offerre dignemini vestram sanctitatem, qua aliis verbo et exemplo viam vitae ostendistis.

Saluto vos, o sanctae virgines, per dulcissimum Cor sponsi vestri: rogans, ut Deo pro me offerre dignemini puritatem et castitatem vestram, qua promeritae estis, ut modo in caelo Christo sitis proximae.

Saluto et veneror vos, omnes sancti et sanctae Dei, per dulcissimum Cor Iesu Christi, et per id ipsum ago Deo gratias pro omni bono, quod ex eodem in salutem vestram profluxit: orans omnes communiter et singulos singulariter, ut quilibet vestrum

Digitized by Google

pro me misero offerre Deo dignetur illas virtutes et perfectiones, quibus cognoscit se maxime Deo complacere. Amen.

Litaniae de omnibus sanctis.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de caelis, Deus, — miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi, Deus,[1]
Spiritus Sancte, Deus,
Sancta Trinitas, unus Deus,
Sancta Maria, — ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix,[2]
Sancta virgo virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Omnes sancti angeli et archangeli,
Omnes sancti beatorum spirituum ordines,

[1] Miserere nobis.
[2] Ora(te) pro nobis.

Digitized by Google

Sancte Ioannes Baptista, — ora pro nobis.
Sancte Ioseph, [1]
Omnes sancti patriarchae et prophetae,
Sancte Petre,
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Iacobe,
Sancte Ioannes,
Sancte Thoma,
Sancte Iacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomaee,
Sancte Matthaee,
Sancte Simon,
Sancte Thaddaee,
Sancte Matthia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Omnes sancti apostoli et evangelistae,
Omnes sancti discipuli Domini,
Omnes sancti innocentes,
Sancte Stephane,

[1] Ora(te) pro nobis.

Digitized by Google

Sancte Laurenti, — ora pro nobis.
Sancte Vincenti, [1]
Sancti Fabiane et Sebastiane,
Sancti Ioannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes sancti martyres,
Sancte Silvester,
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
Omnes sancti pontifices et confessores,
Omnes sancti doctores,
Sancte Antoni,
Sancte Benedicte,
Sancte Bernarde,
Sancte Dominice,
Sancte Francisce,
Omnes sancti sacerdotes et levitae,
Omnes sancti monachi et eremitae,

[1] Ora(te) pro nobis.

Digitized by Google

Sancta Maria Magdalena, — ora pro nobis.
Sancta Agatha,[1]
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Caecilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Omnes sanctae virgines et viduae,
Omnes sancti et sanctae Dei, — intercedite pro nobis.
Propitius esto, — parce nobis, Domine.
Propitius esto, — exaudi nos, Domine.
Ab omni malo — libera nos, Domine.
Ab omni peccato[2]
Ab ira tua
A subitanea et improvisa morte
Ab insidiis diaboli
Ab ira et odio et omni mala voluntate
A spiritu fornicationis
A fulgure et tempestate
A flagello terrae motus
A peste, fame et bello
A morte perpetua

[1] Ora(te) pro nobis.
[2] Libera nos, Domine.

Digitized by Google

Per mysterium sanctae incarnationis tuae — libera nos, Domine.
Per adventum tuum [1]
Per nativitatem tuam
Per baptismum et sanctum ieiunium tuum
Per crucem et passionem tuam
Per mortem et sepulturam tuam
Per sanctam resurrectionem tuam
Per admirabilem ascensionem tuam
Per adventum Spiritus Sancti Paracliti
In die iudicii
Peccatores, — te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, [2]
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram paenitentiam nos perducere digneris,
Ut ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut domnum apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctae ecclesiae humiliare digneris,

[1] Libera nos, Domine.
[2] Te rogamus, audi nos.

Digitized by Google

Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris, — te rogamus, audi nos.

Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris, [1]

Ut nosmet ipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,

Ut mentes nostras ad caelestia desideria erigas,

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,

Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias,

Ut fructus terrae dare et conservare digneris,

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris,

Ut nos exaudire digneris,

Fili Dei,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis, Domine.

Agnus Dei etc., — exaudi nos, Domine.

[1] Te rogamus, audi nos.

Digitized by Google

Agnus Dei etc., — miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.

V. Orate pro nobis, omnes sancti et electi Dei.

R. Ut vestris meritis ad aeterna gaudia pervenire mereamur.

Oremus.

Domine Iesu Christe, tuorum corona sanctorum, miserere populo tuo, super quo invocatum est nomen tuum, et propter merita sanctorum propitius esto iniquitatibus nostris. Memento omnis fidelitatis et amoris, quo tibi usque ad mortem servierunt. En sanguis eorum tam crudeliter et innocenter effusus clamat ad te de terra, implorans tuam misericordiam. Illorum ergo meritis, quae tibi offerimus, placatus, concede nobis eorum frui consortio, quorum nitimur meritis et patrocinio. Qui vivis.

Digitized by Google

PARS OCTAVA.

ORATIONES PRO DIVERSIS NECESSITATIBUS.

Osculatio quinque vulnerum pro peccatis ecclesiae.

Cum B. Gertrudis divinitus inspirata quinque vulnera Christi, modo quo sequitur, osculata fuisset, intellexit a Domino, quod, quandocumque aliquis ad laudem Dei perficit aliquod opus bonum quantumvis parvum, vel legit saltem unum Pater noster pro salute ecclesiae, Filius Dei mox illud, tamquam fructum suae humanitatis gratissime acceptans et pro ipso gratias agens Deo Patri, benedicit et ex illa benedictione multiplicatum distribuit universae ecclesiae ad profectum salutis aeternae. (L. 4, c. 21.)

Ad vulnus sinistri pedis.

Dulcissime Iesu, ex intimo cordis affectu osculor vulnus sinistri pedis tui in emendationem omnium peccatorum, ab universali ecclesia umquam cogitationibus,

Digitized by Google

desideriis seu voluntatibus perversis commissorum: orans, ut dignissimam emendationem, qua totius mundi peccata purgasti, ipsi donare digneris in veram emendationem. Amen.

Ad vulnus dextri pedis.

Piissime Iesu, ex intimo cordis affectu osculor vulnus dextri pedis tui, in suppletionem omnium, quae tota ecclesia omisit in exercitatione utilium cogitationum, desideriorum bonorum ac sanctarum voluntatum: orans, ut dignissimam suppletionem illam, qua universum debitum humani generis persolvisti, toti ecclesiae donare digneris in neglegentiae suae supplementum. Amen.

Ad vulnus sinistrae manus.

Amantissime Iesu, cum devotissima intentione exosculor vulnus sinistrae manus tuae, in emendationem omnium peccatorum tam verbis quam factis totius mundi commissorum: orans, ut illam dignissimam emendationem, qua omnium nostrum tam

Digitized by Google

verborum quam operum delicta expiasti, ecclesiae tuae largiri digneris in veram emendationem. Amen.

Ad vulnus dextrae manus.

Benignissime Iesu, cum intima devotione vulnus dextrae manus tuae deosculor, pro suppletione neglegentiarum totius ecclesiae, quas ex omissione utilium verborum operumque bonorum contraxit: rogans, ut tuam dignissimam perfectionem, qua humanitas tua per tuam divinitatem resplenduit, largiri digneris in totius ecclesiae supplementum. Amen.

Ad vulnus lateris.

Suavissime Iesu, ex intimo cordis affectu deosculor amatorium vulnus sacratissimi lateris tui: orans, ut ex abundantia divinae pietatis tuae, post dignam peccatorum emendationem et sufficientem neglegentiarum suppletionem, etiam nunc merita sanctissimae conversationis tuae, quibus in te ipso dignissime resplendes in conspectu Dei Patris, ad cumulum beati-

Digitized by Google

tudinis aeternae digneris superaddere ecclesiae, sponsae tuae sanctae. Amen.

Oblatio meritorum Christi pro peccatis ecclesiae.

B. Gertrudis, Spiritu Sancto instigante, legit quinque Pater noster in honorem quinque vulnerum Domini, pro emendatione omnium peccatorum quinque sensuum, a toto genere humano commissorum; et tria Pater noster in emendationem omnium peccatorum tribus viribus animae per totius universitatis homines commissorum et bonorum omissorum, offerens ea hoc modo.

Oblatio orationis dominicae.

Dulcissime Iesu, offero tibi hanc orationem in unione illius perfectissimae intentionis, qua eadem in Corde tuo dulcissimo sanctificata ad nostram salutem est edita; in emendationem omnium commissorum et in suppletionem neglegentiarum, quae umquam ex humana fragilitate, ignorantia seu malitia sunt contracta, contra tuam insuperabilem omnipotentiam, inscrutabilem sapientiam ac supereffluentiam gratuitae bonitatis. Amen.

Haec cum offerret, benignus Dominus quasi in eorum complacentia, ultra quam dici possit, placatus, extendens manum suam et signum crucis ducens, eam satis affectuose benedixit. (L. 4, c. 19.)

Digitized by Google

Alia vice dixit Christus ad eam: Lege triginta tria Pater noster et eme a me conversationem meam sanctissimam, qua triginta tribus annis operatus sum salutem in medio terrae. Et hunc fructum communica toti ecclesiae in veram salutem ad laudem meam. Quod cum fecisset, recognovit in spiritu totam ecclesiam velut sponsam ornatam ex fructu perfectissimae conversationis Christi. (L. 4, c. 20.)

Quam gratum sit Christo orare pro ecclesia, etiam ex hoc collige, quod B. Mechtildi dixit: Si quis ex puro amore, quo Deum amat, orat pro tota ecclesia et pro quolibet tamquam pro se ipso, illa oratio illuminat caelestem Ierusalem tamquam ortu novi solis. (P. 3, c. 47.)

Oratio pro tota ecclesia.

B. Gertrudis quadam vice dicebat ad Dominum: Ecce, Domine, offero tibi vota omnium personarum, quae se indignis orationibus meis commiserunt. Cui Dominus: Tot facibus amoris Cor meum succendisti, pro quot mihi personis adstas. Tunc illa: Eia, doce me, quomodo tibi pro personis totius ecclesiae digne adstare et tot facibus amoris Cor tuum accendere queam, quot homines sunt in ecclesia universa. Et ille: Hoc si desideras perficere, his quattuor modis potes, ut scilicet 1. laudes me, quod eos creaverim. 2. Agas gratias pro beneficiis iis impensis. 3. Veniam petas pro tot gratiis ab eis neglectis. 4. Roges, ut singuli in gratia perficiantur. (L. 4, c. 25.)

Piissime Iesu, ex intimo cordis affectu laudo, glorifico et benedico te pro creatione eorum omnium, quos ad imaginem et similitudinem tuam creasti, gratiasque tibi ago pro omnibus beneficiis iis umquam

Digitized by Google

impensis sive impendendis, et in unione vehementissimi doloris tui moveo querimoniam, dolens et paenitens pro omnibus modis, quibus umquam gratiis tuis obicem posuerunt, devotissimeque rogo pro omnibus, quo singuli iuxta tuam divinam ordinationem in omni beneficio perficiantur ad aeternam laudem et gloriam tuam. Amen.

Tria Laudate pro peccatis ecclesiae vel propriis.

B. Gertrudis dicebat ad Dominum: Doce me, doctor amantissime, quibus orationibus te ab hominibus ad iracundiam provocatum blandius possim placando delinire. Cui ille: Non mediocriter acceptarem, si quisquam, legendo tria Pater noster vel Laudate Dominum omnes gentes, ea hoc modo Deo Patri offerret. (L. 4, c. 25.)

Pater noster vel Laudate.

Sanctissime Pater, offero tibi omne exercitium sanctissimi Cordis Unigeniti tui, quo umquam lassatus est in terris pro salute generis humani, in laude, gratiarum actione, querimonia, actione, desiderio et amore, in emendationem omnium terrenarum et carnalium delectationum ac perversarum voluntatum, quibus aliquod cor

Digitized by Google

humanum implicatur (vel cor meum implicatum umquam fuit). Amen.

Pater noster vel Laudate.

Sanctissime Pater, offero tibi omne exercitium innocentissimi oris Unigeniti tui, in abstinentia et temperantia tam ciborum quam verborum, in praedicatione et oratione continua, quibus pro salute humana insudavit, in emendationem omnium peccatorum in universa ecclesia (vel a me) commissorum in gula et ebrietate ac nocivorum inutiliumque verborum multiplicatione. Amen.

Pater noster vel Laudate.

Sanctissime Pater, offero tibi omne exercitium sanctissimi corporis Unigeniti tui cum omnibus motibus singulorum membrorum ac totam seriem perfectissimae conversationis eius, cum omni amaritudine suae innocentissimae passionis et mortis, quam pertulit pro redemptione generis humani, in emendationem omnium peccatorum, quae quocumque modo vel motu singulorum membrorum quisquam (vel ego)

Digitized by Google

contra propriam salutem saeviendo commisit (commisi). Amen.

Oratio efficacissima pro spiritualibus et carnalibus amicis.

Cum B. Gertrudis hoc modo, sicut eam Christus docuerat, pro sibi commissis oraret, benignus Dominus cuiusvis necessitatem in lumine divinae cognitionis suae rememorans amatoria compassione singulis condescendit. (L. 4, c. 3.)

Benignissime Iesu, omnes eos, qui se indignis orationibus meis commiserunt, commendo divinae tuae cognitioni et amori, quorum ductu de sinu Patris ad terras propter salvandum hominem descendisti. Et in unione amoris illius, quo Patri spiritum tuum commendasti, commendo et includo illos dulcissimo Cordi tuo: applicans et exhibens tibi id ipsum in unione amoris illius, quo illud pro salute humana, humanum suscepisti atque dilectis amicis tuis in specialis amicitiae praerogativam saepius dedisti, ut inde benefacias illis, pro quibus oro et orare teneor.

Deinde dic unum Pater noster, quod sic offeras:

Bone Iesu, offero tibi hanc orationem ad aeternam laudem tuam, ut exinde bene-

Digitized by Google

facias tuis meisque specialibus amicis secundum beneplacitum tuae divinae pietatis. Amen.

Ita S. Gertrudis cum maximo Christi beneplacito pro amicis suis unum Miserere obtulit. (L. 4, c. 2.)

Quam utile sit pro aliis orare, Christus docuit B. Gertrudem, inquiens: Sicut impossibile est alicuius pedes transvulnerari sine compassione proprii cordis: sic omnino impossibile est paternae pietati meae effectibus misericordiae non respicere eum, qui, quamvis propriis gravatus excessibus recognoscat se divinae indulgentiae medicamento indigere, cum affectu caritatis pro salute proximorum non desinit supplicare. (L. 3, c. 73.)

Pro inimicis.

Cum B. Gertrudis orasset, ut sequitur, Christus coram Deo Patre procidens obtulit pro ea fructum totius sanctissimae conversationis suae, in emendationem omnium, quibus umquam contra ipsum deliquisset. (L. 4, c. 24.)

Domine Iesu, in unione amoris et suavitatis illius excessivae, qua inter ipsos etiam indicibiles passionis dolores et poenas mortis pro crucifixoribus tuis rogasti, dicens: Pater, ignosce illis; ex intimo affectu deprecor te, ut digneris dimittere omnibus, qui umquam in aliquo contra me deliquerunt. Amen.

Digitized by Google

Oratio in tribulatione.

Cum B. Gertrudis in quadam afflictione diu cum sororibus suis Deum rogasset nec ullum sentiret effectum, tandem dixit ad Dominum: Et quomodo, benignissime amator, tam diu protrahis desiderium nostrum! Et Dominus: Non esset mirandum, quod pater permitteret filium a se petere nummum, si toties reponeret ei centum marcas! Sic non mireris, quod protraho in hac causa exaudire vos; quia quoties pro ea invocatis, etiam minimis verbis vel cogitationibus, toties de aeternis bonis longe supra centum marcas vobis repono. (L. 3, c. 31.)

O Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, obsecro, digneris oculis tuae pietatis in me respicere, sicut dilectum Filium tuum in monte Oliveti angustia spiritus sui ad te clamantem et sudore sanguineo faciem terrae irrigantem respexisti. Numquid non est voluntas tua, piissime Pater, quod in necessitatibus nostris ad te confugiamus teque pro avertendis malis invocemus? Cum igitur a nobis rogari et invocari velis, hinc propter voluntatem tuam deprecor, ut iuxta laudabilissimum beneplacitum tuum me ab hac tribulatione liberes. O Pater benignissime, aures tuae pietatis inclina precibus meis licet indignis et eripe me ab hac angustia.

Digitized by Google

Ante pedes benignitatis et ante oculos misericordiae tuae denudo pressuram cordis et afflictionem spiritus mei tibique eam offero, ut de ea, quod tibi magis placitum fuerit, efficias. Dulcis Iesu, per omnes angustias et pressuras, quas pro salvando homine suscepisti, aufer calicem hunc a me. Iesu pientissime, offero tibi excellentem illam orationem, quam prae mortis angustia sanguinei sudoris testimonium reddidit devotam et ardens amor divinitatis tuae efficacem: obsecrans per virtutem eiusdem perfectissimae orationis, ut me exaudias et ab hac angustia liberes. Igitur tua intentione et resignatione, tuo Corde et ore deprecor dicens: *Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc a me: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*[1]. Amen.

Oratio infirmi aut afflicti.

Cum B. Mechtildis quadam vice infirmaretur et hoc Domino conquereretur, ait ad eam: Pone omnes dolores tuos in Cor meum, et ego eos ita perficiam, quantum umquam alicuius passiones elevari potuerunt. Et sicut passio mea

[1] Marc. 14, 36. Luc. 22, 42.

Digitized by Google

ineffabiles fructus operata est, sic et infirmitas tua, si eam mihi commendaveris, beatis honorem, iustis meritum et peccatoribus veniam operabitur. (P. 2, c. 36.)

Amantissime Iesu, hanc infirmitatem (vel afflictionem) meam, quam e paterno Corde tuo in signum amoris tui mihi misisti, promptissima voluntate suscipio, et tali caritate, qua eam mihi immisisti, cum gratitudine eandem tibi offero. Omnem igitur dolorem et pressuram meam in sacratissimum Cor tuum depono, rogans, ut eadem amarissimae passioni tuae unire et intrahere atque per eam perficere digneris. Et quoniam propter multitudinem dolorum et afflictionum mearum te, ut par est, laudare nequeo: ideo tu eadem laude, qua in cruce in maximis cruciatibus tuis Patrem laudasti, eum pro meis doloribus lauda. Et sicut eidem ex tota virtute Cordis tui gratias egisti pro omnibus poenis et contumeliis ab eodem tibi immissis, ita et eidem pro meis doloribus gratias age. Et demum eodem amore, quo omnia vulnera et opprobria suscepisti Patrique tuo cum summa gratitudine obtulisti, ita eidem hanc in-

Digitized by Google

ternam et externam afflictionem meam una cum sanctissima passione tua offer ad aeternam laudem suam. Amen.

Oblatio cuiuscumque doloris.

Quotiescumque specialis aliquis dolor te tangit, statim offer eum amori divino, sicut Christus B. Mechtildem docuit. (P. 2, c. cit.)

O dulcis amor, hanc puncturam offero et commendo tibi tali intentione, quali eam de Corde Iesu mihi detulisti, rogans, ut eandem cum summa gratitudine ibidem reconsignes.

Resignatio infirmi.

Infirmus aut moriturus nil melius facere potest, quam se integre voluntati divinae committere seque paratum exhibere omnes poenas, immo et mortem ipsam pro amore Dei subire. Unde saepe hanc orationem orabit aut sibi legi faciet.

Omnipotens et misericors Deus, ecce ego indignus famulus tuus integra voluntate mea offero et resigno me tibi in laudem tuam aeternam, ad faciendum corpore et anima mea omne beneplacitum tuum, in unione amoris illius, quo Filius tuus in cruce pendens se tibi obtulit. Et ex intimo corde paratus sum, amore amoris

Digitized by Google

et gloriae tuae omnes dolores et cruciatus huius meae infirmitatis, immo et mortem ipsam nec non et omnia mala et poenas, quae mihi per rigorem divinae iustitiae tuae in tempore et aeternitate imponendae forent, patienter sustinere. Hinc coram te et omnibus sanctis fateor et protestor, quod, si penes me esset, adhuc mille annis in omnibus deliciis praeter voluntatem tuam vivere, malim tamen pure ob amorem et gloriam tuam, si voluntas tua esset, hac hora mori. Quare cum plena mei ipsius resignatione corde et ore dico et millies repeto: Non mea, sed tua voluntas fiat, amantissime Iesu, de me, per me et in me, in tempore et aeternitate. Amen.

Oratio pro infirmo.

B. Gertrudis oratura pro infirmo quodam requisivit a Domino, quid ei magis placeret ut oraret pro ipso. Ad quod Dominus: Duo tantum verba devoto corde dic pro illo etc. (ut sequitur). Et quoties haec verba replicaveris, toties augebitur meritum tam tuum quam infirmi. (L. 3, c. 73.) Et hanc orationem potest etiam ipse infirmus pro se orare mutata persona.

Domine Iesu, per amorem, quo languores nostros tulisti et dolores nostros portasti,

Digitized by Google

rogo, ut illi infirmo conserves patientiam: et ut singula momenta, per quae passurus est, perducas ad gratiorem laudem tuam et ad utiliorem eius profectum, secundum quod caritas ab aeterno praeordinavit in Corde tuo paterno ad aeternam ipsius salutem. Amen.

Tres efficacissimae orationes pro felici morte, tam infirmis quam sanis utilissimae.

Ex Exercit. S. Gert.

Oratio prima.

O cara veritas, o iusta Dei aequitas, quomodo apparebo ante faciem tuam, portans iniquitatem meam, reatum deperditionis vitae meae et pondus multae nimis neglegentiae meae! Talentum temporis mihi creditum non solum expendi in vanum, sed et amisi, depravavi et perdidi totum. Quo ibo, quo me vertam et quo a facie tua fugiam? O iusta Dei aequitas, quae in numero, pondere et mensura iudicas et levas omnia in statura iusta nimis: vae mihi et millies vae, si tradar tibi non habens advocatum respondentem pro me! O bone

Digitized by Google

Iesu, ad te confugio, ad te de fundo cordis mei suspiro: tu responde pro me, tu impetra mihi veniam, tu age meam causam, ut vivat anima mea ob gratiam tui. Eia, amor meus Iesu, qui amore mei captus, vinctus et ad iniustissimum iudicium tractus fuisti, ut imponerentur tibi totius mundi peccata, cum non haberes maculam, nisi tantum amoris mei causam et meam, quam de te Pater exigebat, culpam, te accipio hodie in iudicii mei comitem. Iesu, mi dulcissime, redemptionis meae pignus amabile, tu mecum venias ad iudicium. Tu sis iudex et advocatus meus. Enarra quid factus sis pro me, quam bene cogitaveris de me et quam care acquisieris me. Tu mihi vixisti, ne perirem; tu peccata mea portasti, ne opprimerer; tu pro me obiisti, ne morerer; tu omnia tua mihi contulisti, ut per te meritis ditescerem. Igitur in mortis meae hora iudica me secundum illam innocentiam, quam mihi contulisti in te, cum omne debitum meum solvisti per te, iudicatus et condemnatus propter me. Amen.

Digitized by Google

Oratio secunda.

O suavis bonitas et amabilis Dei misericordia, quae sola fraenas iram principis et clementia decoras thronum regis: Eia sub alis tuis me recipe, ut protegar ab imminentibus malis, quae timeo pro neglegentiis meis multis et magnis. Ecce iam creditor stat ad ostium, repetens a me vitae meae depositum. Exactor a me exigit temporis mei tributum, coram quo apparere nequeo, cum non habeam unde solvam debitum. O Iesu, amor meus, miserorum omnium refugium, redde mihi Patrem tuum placatum. Tu pro me loquere verbum in caritate, dicens: Ego redimam eum. Eia, amor meus Iesu, qui pro me immisericorditer ad columnam es alligatus, dire flagellatus, poenose coronatus et probrose salutatus, tu sis advocatus et patronus meus. Te Iudaea negavit esse regem suum, ut ego te haberem meum proprium. Tu igitur amaritudine dolorum et passionum tuarum refocilla meum spiritum, et illa amarissima, quam tibi Pater

Digitized by Google

imposuit, pacis nostrae disciplina persolvat omnia mea debita. Sensus meos lini et unge gloriosissimi capitis tui cruore eorumque maculas absterge sanctissimi corporis tui dolore. Sanctissimorum sensuum tuorum exercitium sit totius culpae meae operimentum et omnium neglegentiarum mearum supplementum: ut quidquid mihi deest in me, id omne habeam in te, qui te totum impendisti pro me. Amen.

Oratio tertia.

O dulcis Dei pietas, o cara Dei liberalitas, quae omnibus expandis gremium omniumque pauperum es refugium! Commissa mea vehementer pavesco, omissa mea valde erubesco, deperditionem vitae meae nimis pertimesco. Futuram timeo discussionem illam, qua tu, Deus meus, mecum positurus es rationem. Si a me volueris exigere temporis mei depositum et talenti, quod mihi contulisti, lucrum, prorsus nullum tua caritate dignum invenio responsum. Quid agam? quo me vertam? Eia parce et indulge mihi, Iesu,

Digitized by Google

amor meus, qui pro me iniustae morti adiudicatus, gravissima cruce oneratus, inhumane cruci affixus, felle et aceto potatus et amara morte defunctus fuisti. Tu dedisti animam tuam pro anima mea, vitam tuam pro vita mea, mortem tuam pro morte mea. Tu te in cruce obtulisti et adhuc cotidie Deo Patri ad altare offers sacrificium, quod excedit omne meritum et abundanter valet solvere omne meum debitum. Eia per hoc Sacramentum vitam meam innova et in centuplum restitue omnia mea deperdita. Tua pietate omnes iniquitates meas dele, tua caritate omnia peccata mea cooperi, tua dilectione neglecta mea supple, tuo amore in illam libertatem spiritus restitue me, qua tu haeres innocentiae moriens pro me, dato pretio proprii sanguinis liberum fecisti me. Fac me totum talem, qualem me esse vis et desideras: et in mortis hora aperi mihi benignissimi Cordis tui ostium, ut per te absque omni impedimento ingredi merear tui vivi amoris thalamum, ubi fruar et habeam te, o cordis mei verum gaudium. Amen.

Digitized by Google

Tres orationes a circumstantibus dicendae, dum infirmus agonizat.

Oratio prima.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave Maria.

Domine Iesu Christe, deprecor te per tuam sanctam agoniam atque devotissimam orationem, quam in monte Oliveti orasti, quando factus est sudor tuus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram, ut eundem sudorem sanguineum, quem prae timore mortis tam copiose sudasti, caelesti Patri tuo offerre et ostendere digneris contra multitudinem peccatorum huius infirmi. Et velis eum in hac hora obitus sui liberare ab omnibus angustiis et poenis, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Amen.

Oratio secunda.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave Maria.

Digitized by Google

Domine Iesu Christe, qui pro salute mundi in dura cruce mori dignatus es, deprecor te, ut amaritudinem illam, quam in eadem sustinuisti, praesertim quando sacratissima anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, caelesti Patri tuo offerre et ostendere digneris pro peccatrice anima huius infirmi, eumque in hac hora mortis suae liberare ab omnibus poenis et cruciatibus, quos pro peccatis suis se timet meruisse. Amen.

Oratio tertia.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave Maria.

Domine Iesu Christe, qui per prophetam tuum dixisti: *In caritate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui*[1]: rogo te, ut amorem illum, qui te de caelis ad terram ad patiendam omnem miseriam traxit, caelesti Patri tuo offerre et ostendere digneris pro anima huius infirmi, eamque liberare ab omnibus poenis et

[1] Ier. 31, 3.

Digitized by Google

cruciatibus, quos pro peccatis suis se timet meruisse. Adsis ei, pie Iesu, in hac hora mortis suae; aperi ei ianuam vitae et perduc animam eius in paradisum exsultationis, ubi te laudet per infinita saecula. Amen.

Oblatio passionis Christi pro defunctis.

Respice, pie Pater, de sede magnitudinis tuae ad miseras animas in purgatorio detentas. Respice poenas et cruciatus, quibus tam miserabiliter torquentur; considera gemitus ac lacrimas, quas ad te fundunt: audi preces et supplicationes, quibus misericordiam tuam implorant, et esto propitius peccatis eorum. Recordare, piissime Pater, poenarum, quas Filius tuus pro iis sustinuit: memento copiosissimi sanguinis, quem pro iis fudit: reminiscere acerbissimae mortis, quam pro iis subiit, et miserere earum. Pro omnibus peccatis, quae umquam perpetrarunt, offero tibi sanctissimam vitam et conversationem Filii tui dilectissimi: pro ipsorum neglegentiis offero tibi ferventissima eius desideria: pro omissionibus bonorum operum offero

Digitized by Google

tibi eiusdem meritorum abundantiam: pro omni iniuria tibi irrogata offero omne, quod tibi exhibuit, beneplacitum. Demum pro omnibus poenis, quibus obnoxii detinentur, offero tibi omnes paenitentias, ieiunia, vigilias, orationes, labores et afflictiones, vulnera, livores, passionem et mortem, quam innocentissime promptissimeque sustinuit, rogans, ut per haec placatus ad gaudia eos aeterna perducas.

Quattuor orationes pro defunctis, quas B. Gertrudis Christo approbante composuit.

Cum B. Gertrudis, has orationes una cum psalterio oratura, diceret ad Dominum: Quam acceptus est tibi labor eorum, qui hoc psalterium persolvunt? respondit: Tam acceptus certe, acsi me ipsum toties suo pretio a captivitate liberassent, quoties aliqua liberatur anima per preces eorum. Et hoc ipsis indubitanter restituam in tempore opportuno, secundum omnipotentiam meae liberalissimae pietatis. (L. 5, c. 18.) Igitur licet psalterium orare nequeas, dic tamen has quattuor efficacissimas orationes et in fine cuiusque adde:

Ave, Iesu Christe, splendor Patris, princeps pacis, ianua caeli, panis vivus, virginis partus, vas Deitatis.

Requiem aeternam dona eis, et lux perpetua luceat eis. Vel dic Psalm. De profundis.

Digitized by Google

Oratio prima.

Adoro, saluto et benedico te, dulcissime Domine Iesu Christe, atque ex affectu totius universitatis gratias ago pro amore, quo propter nos incarnari, nasci, triginta tribus annis fame, siti, laboribus et doloribus affici ac te ipsum nobis in Sacramento relinquere dignatus es: obsecrans te, ut hanc orationem meam, quam tibi pro illo N. defuncto (vel illis, vel omnibus defunctis) offero, unire et permiscere digneris meritis sanctissimae vitae et conversationis tuae et ex eiusdem abundantia supplere et perfecte restaurare, quidquid neglexit (neglexerunt) in tui laude et dilectione, gratiarum actione, orationibus, virtutibus ceterisque bonis operibus et obsequiis tibi debitis, quae per gratiam tuam facere potuisset et non fecit, seu impure et imperfecte fecit (fecerunt). Amen.

Oratio secunda.

Adoro, saluto et benedico te, dulcissime Domine Iesu Christe, gratias agens pro

Digitized by Google

amore, quo tu Creator universorum ad redimendum nos ab hominibus dignatus es capi, ligari, trahi, conculcari, verberari, conspui, flagellari, spinis coronari, condemnari, crucem baiulare, nudari, crucifigi et acerbissima morte mori lanceaque configi. Atque in eiusdem amoris unione offero tibi has indignas orationes meas, obsecrans te per meritum tuae sanctissimae passionis et mortis, ut delere et perfecte abstergere digneris, quidquid anima (animae, pro quibus), pro qua oro, umquam contra voluntatem tuam peccavit (peccaverunt) cogitationibus, locutionibus et operibus malis. Et ut offeras Deo Patri omnem vulnerati corporis et dolorosae animae tuae poenam et dolorem, merita et exercitia, pro omni poena, cui apud iustitiam tuam detinetur obligata (detinentur obligatae). Amen.

Oratio tertia.

Adoro, saluto et benedico te, dulcissime Domine Iesu Christe, gratias agens pro amore et fiducia, quibus nostram carnem

Digitized by Google

devicta morte resurgens glorificasti in caelumque ascendens ad dexteram Patris collocasti: obsecrans te, ut animam, pro qua (animas, pro quibus) oro, tuae gloriae et victoriae participem (participes) efficere digneris. Amen.

Oratio quarta.

Adoro, saluto et benedico te, dulcissime Domine Iesu Christe, gratias agens pro omnibus beneficiis, quae gloriosae Matri omnibusque electis tuis umquam impendisti: in unione illius gratitudinis, qua omnes sancti gratulantur se per incarnationem, passionem et resurrectionem tuam beatificatos: obsecrans te, ut ex eiusdem gloriosae virginis et sanctorum meritis et precibus supplere digneris isti animae (istis animabus), quidquid ei (iis) deest ex propriis. Amen.

Oratio Dominica pro defunctis, quam Christus B. Mechtildem docuit.

Cum B. Mechtildis pro defunctis communicasset, apparuit ei Christus, dicens: Dic pro iis unum Pater noster.

Digitized by Google

Et intellexit, quod oraret, ut sequitur. Quod cum fecisset, vidit magnam multitudinem animarum ad caelum ascendere. (P. 5, c. 18.)

Pater noster, qui es in caelis. Obsecro, digneris animabus in purgatorio ignoscere, quod te, suum venerandum dilectumque Patrem, qui eas ex mera gratia in filios adoptasti, non dilexerint nec debitum honorem exhibuerint, sed e suis cordibus, in quibus habitare semper desiderabas, eiecerint. Et in suppletionem huius culpae ipsarum offero tibi illum amorem et honorem, quem dilectus Filius tuus in terris tibi exhibuit, illamque copiosam satisfactionem, qua omnia ipsarum peccata persolvit. Amen.

Sanctificetur nomen tuum. Obsecro te, pie Pater, digneris animabus defunctorum ignoscere, quod sanctum nomen tuum numquam digne honoraverint rariusque eiusdem devote recordati fuerint, sed saepius id ipsum in vanum assumpserint atque per turpem vitam suam christiano nomine se indignos reddiderint. Et pro satisfactione huius peccati offero tibi perfectissimam

Digitized by Google

Filii tui sanctitatem, qua benedictum nomen tuum praedicando exaltavit et in omnibus sanctissimis operibus suis honoravit. Amen.

Adveniat regnum tuum. Obsecro te, pie Pater, digneris animabus defunctorum ignoscere, quod te regnumque tuum, in quo solo consistit vera requies aeternaque gloria, numquam cum fervore desideraverint nec studiose quaesierint. Pro qua ipsarum acedia, quam in omni bono habuerunt, offero tibi sanctissima Filii tui desideria, quibus voluit eos esse regni sui coheredes. Amen.

Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra. Obsecro te, pie Pater, digneris animabus defunctorum, maxime vero animabus religiosorum ignoscere, quod voluntatem tuam suae non praeposuerunt nec eandem in omnibus dilexerunt, sed valde frequenter secundum voluntatem suam vixerunt et fecerunt. Et in emendationem huius inobedientiae offero tibi unionem dulcissimi Cordis Filii tui cum tua voluntate; sicut

Digitized by Google

et promptissimam eius obedientiam, qua tibi obediens fuit usque ad mortem crucis. Amen.

Panem nostrum cotidianum da nobis hodie. Obsecro te, pie Pater, digneris animabus defunctorum ignoscere, quod nobilissimum altaris Sacramentum non cum integro desiderio, devotione et amore susceperint, sed multae earum se plane eo indignas reddiderint et multae id ipsum raro aut numquam susceperint. Pro quo earum peccato offero tibi maximam Filii tui sanctitatem et devotionem, sicut et ferventem eius amorem et ineffabile desiderium, quo hunc pretiosum thesaurum nobis donavit. Amen.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Obsecro te, pie Pater, digneris animabus defunctis ignoscere omnia peccata, quae commiserunt in septem peccatis capitalibus, maxime quod iis, qui eas offenderant, ignoscere noluerint nec inimicos suos dilexerint. Pro quibus peccatis offero

Digitized by Google

tibi suavifluam orationem, quam Filius tuus in cruce pro inimicis suis oravit. Amen.

Et ne nos inducas in tentationem. Obsecro te, pie Pater, digneris animabus defunctorum ignoscere, quod vitiis et concupiscentiis non restiterint, sed saepius diabolo et carni suae consenserint et multis malis sponte se irretierint. Pro quibus multiplicibus peccatis offero tibi gloriosam Filii tui victoriam, qua mundum et diabolum devicit, sicut et totam sanctissimam eius vitam et conversationem cum omni labore et defatigatione amarissimaque passione et morte eius. Amen.

Sed libera nos et ipsas ab omni *malo* omnique poena per dilecti Filii tui merita, et perduc nos ad regnum gloriae tuae, quod tu ipse es. Amen.

Brevis et efficax oratio pro defunctis.

Miserere, piissime Iesu, animabus in purgatorio detentis, pro quibus redimendis humanam naturam assumpsisti mortemque

Digitized by Google

amarissimam subiisti. Miserere gemituum, miserere lacrimarum, quas ad te fundunt, et per virtutem passionis tuae condona iis poenas peccatis ipsarum debitas. Descendat, piissime Iesu, sanguis tuus in purgatorium et recreet refrigeretque omnes ibi captivos ac patientes. Porrige iis dexteram et duc eas in locum refrigerii, lucis ac pacis. Amen.

Oratio ad ipsos defunctos.

Misereatur vestri, o afflictissimae animae, Iesus Christus pro vobis mortuus et crucifixus: et per aspersionem sanguinis sui refrigeret vos in tormentis vestris. Commendo vos illi excessivo amori, qui Filium Dei traxit de caelis et amarissimae morti subiecit in terris: ut illa pietate vestris poenis compatiatur, qua in cruce pendens omnibus afflictis est compassus. Et in plenum refrigerium offero vobis omnem filialem affectum, quem idem Christus Iesus habuit ad Patrem in divinitate et ad Mariam Matrem in humanitate. Amen.

Digitized by Google

Oratio transeundo coemeterium dicenda.

Avete, omnes Christi fideles animae: det vobis requiem ille, qui est vera requies. Iesus Christus, Filius Dei vivi, qui natus est de immaculata Virgine pro nostra omniumque salute et vos redemit suo pretioso sanguine, benedicat vos; et a poenis liberet faciatque resurgere in die iudicii angelisque suis sociari. Amen.

Digitized by Google

PARS NONA.

ORATIONES PRO PECCATIS.

Christus aiebat S. Gertrudi (l. 4, c. 58): Ut cognoscas, quanta dignatione acceptem, quod anima fidelis post transgressionem resipiscens compungatur pro transgressione cum proposito de cetero pro posse suo peccata cavendi, scias inaestimabilem esse dulcedinem, qua Cor meum afficitur, quoties aliquis cum maerore recolit se per divagationem cordis vel dissolutionem verborum aut operum inutilium recessisse a me. Unde singula verba, quae cor compunctum in cogitatione pertractat, hoc vel simili modo dicens: „Eia, heu me miserum, qualiter consumpsi tempus istud, Domino Deo amatori meo non intendendo“: ego in persona humanitatis meae, quasi discantum suavissimum faciens per modulos divinitatis meae, superexcellentissime decanto Deo Patri meo et in admirationem provoco omnem caelestem militiam spirituum beatorum. Et inde fit gaudium in caelo super uno peccatore paenitentiam agente. Et cum quamlibet animam fidelem per praesentis vitae terminum deduco ad caeli palatium, in illa via mirabili, scilicet in ingressu caeli, inter alia, quibus ipsi tunc blandior, oblectamenta infundo illi omnia gaudia, quae tam ego quam omnis caelestis exercitus umquam persensit diversis horis de qualibet ipsius compunctione.

Digitized by Google

Accusatio sui ob multiplicia peccata sua gravia.

Omnipotens sempiterne Deus, en ego infelix, indignus ac perfidus peccator, multipliciter tibi rebellis et ingratus, venio ad te Deum Creatorem et Redemptorem meum, accusans me ipsum et confitens tibi omnes abominationes et scelera mea. In spiritu humilitatis et in animo contrito confiteor tibi, quod saepe nomen sanctum tuum blasphemaverim, praecepta tua transgressus sim, voluntatem tuam contempserim, dona et opera tua in me destruxerim, animam et corpus meum polluerim, gratias ac beneficia tua in contumeliam tuam verterim et innumeris peccatis et iniquitatibus meis multipliciter te offenderim. Et in his gravissimis peccatis et sceleribus, in huiusmodi pravitate et perfidia, heu nimis diu obstinatus mansi, abutens benignitate et longanimitate tua, seducens cor meum et inquinans animam meam. Et non solum hanc meam, sed plures quoque alias animas, quas tu sanguine tuo pretioso mer-

Digitized by Google

catus es, ego malis meis exemplis et persuasionibus tibi abstraxi et hosti tuo diabolo necandas tradidi. Ecce Domine, Deus meus, ante pedes tuos prostratus iacet nefarius hostis tuus: ecce hic habes perversum illum nebulonem, qui se ultro tibi captivum tradit. Fac igitur de me, quidquid tibi placet, nam integra voluntate rigori iustitiae tuae me subicio, paratus, quamcumque de me sumere volueris vindictam, lubens subire; tantummodo miserere mei et in gratiam tuam me recipe. Numquid non Pater meus es tu, cuius pietas non potest concludi, cuius miserationes numquam continere se possunt? Ego vero licet filii nomine indignum me fecerim, non tamen alium patrem praeter te agnosco. Quapropter ad pedes misericordiae tuae prostratus per omnipotentiam, sapientiam et bonitatem tuam obsecro te, ignosce, remitte et condona mihi offensas meas gravissimas et in gratiam tuam me rursus admitte. Dulcis Iesu, Fili Dei vivi, qui te advocatum et mediatorem inter nos et Patrem tuum constituisti, ob-

Digitized by Google

secro te per caritatem illam, quae te de caelis traxit in uterum Virginis et de eodem ad passionem et ignominiam crucis: obsecro te per omnes contumelias et iniurias tibi irrogatas atque per omnes et singulas pretiosissimi sanguinis tui guttas pro nobis effusas, ut mihi peccatorum meorum veniam impetres atque Patri tuo plene me reconcilies. Amen.

Alia accusatio.

O inscrutabilis abyssus pietatis, Domine Deus meus, peccavi super numerum arenae maris et non sum dignus intueri altitudinem caeli. O me foetidam peccatorum sentinam! O me sordidum cadaver putredinis! Multiplicatae sunt iniquitates meae et *sicut onus grave gravatae sunt super me*[1]. Regnat in me superbia, vana gloria, luxuria, avaritia, invidia, gula, acedia et omne malum. Quid faciam miser, quo fugiam a facie irae Dei! Heu Domine Deus meus, quanta sunt vulnera mea, quanta infirmitas animae meae! Cui conquerar, o Domine, omnia mala mea ad-

[1] Ps. 37, 5.

Digitized by Google

versum me, nisi tibi salvatori et redemptori animae meae? Iesu, Fili Dei vivi, miserere mei, quia nihil tibi est impossibile, quam non posse miseris misereri. Redde mihi, dulcis Iesu, gratiam tuam et recipe me in amicitiam tuam. Non secundum merita mea, sed secundum bonitatem tuam respice in me. Doleo vehementer de peccatis meis, quibus te benignissimum Deum meum offendi. O Domine Deus meus, odi, aversor, exsecror et abominor omnia peccata mea tali affectu et voluntate, qua tu ipse ea exsecraris et abominaris, et utinam dolor meus tantus esset, quantum tu esse desideras! In cuius dignam suppletionem offero tibi illam contritionem, tristitiam et aversionem a peccatis, quam Filius tuus in monte Oliveti de omnibus mundi peccatis in se sensit et sustinuit, dum prae vehementia doloris et angustiae sudor sanguineus de corpore eius emanaret et omnia viscera eius commoverentur: rogans, ut illam contritionem in suppletionem meae, quam non habeo, acceptare meque a peccatis meis absolvere digneris. Amen.

Digitized by Google

Vera contritio, vi cuius plenariam a Christo indulgentiam obtinere studeas.

Docent doctores peccatorem, si tam perfecte doleat, ut paratus sit omnem poenam peccatis debitam libens sustinere, per hoc Deum ita reconciliare, ut omnem poenam ei remittat.

Benignissime Deus, ego indignissima creatura tua, ex mera malitia et perversitate divinam bonitatem tuam tam multipliciter offendi, quod iuste me abominari et tamquam capitalem hostem tuum persequi deberes. O Christe Iesu, fateor, quod inique egerim et malum nimis coram te fecerim: attamen tam vehementer super hoc doleo, ut malim quodvis malum subire, quam deinceps vel unico mortali peccato te offendere. Non doleo propter graves nimiasque poenas, quas commerui, sed solummodo, quia te tam dulcem, tam amabilem, tam benignum et fidelem Dominum, qui mihi numquam nec minimum malum fecisti, sed omnibus bonis me ditasti, tam graviter tamque iniuste offenderim. Ignosce mihi, misericordissime Iesu, propter amorem illum, quo Patrem pro persecutoribus tuis rogasti; quia paratus sum omnem in-

Digitized by Google

iuriam, quam tibi peccando irrogavi, quantum possibile est, reciproco obsequio recompensare. Non peto poenas promeritas mihi condonari, sed paratissimus sum easdem a paterna manu tua, quando, quomodo et ubi tibi placuerit et decor iustitiae tuae exegerit, acceptare. Cum summa igitur humilitate et resignatione me tibi subicio iustumque tuum super me iudicium ambobus brachiis amplexor, paratus acceptare, quaecumque mihi adversa in tempore et aeternitate immiseris. Amen.

Brevis confessio peccatorum.

Cum B. Gertrudis quadam vice hanc confessionem fecisset, apparuit ab omni macula peccati super nivem candidata. (L. 4, c. 38.)

Ecce Domine mi, ego indignus peccator fateor, eheu, cum dolore, ex humana fragilitate me contra tuam divinam omnipotentiam multipliciter deliquisse, ac contra tuam divinam sapientiam per ignorantiam diversimode peccasse nec non et tuam inaestimabilem benignitatem me multis modis malitiose irritasse. Ergo, Pater misericordia-

Digitized by Google

rum, miserere mei et da mihi de tua omnipotentia vires resistendi omnibus, quae tibi sunt contraria: et de tua inscrutabili sapientia da mihi caute praevenire omnia, quae oculos tuae puritatis in me offendere possent: atque ex superabundantia pietatis tuae concede mihi tam stabili fidelitate tibi adhaerere, ut numquam vel in minimo a tua voluntate discordem. Amen.

Petitio ad Iesum, ut ipse per suam ss. conversationem satisfaciat pro nostris excessibus.

Ex Exercit. S. Gert.

O Iesu piissime, plene pietate et misericordia, quinumq uam spernis miserorum suspiria: heu deperiit et sine fructu abiit tota vitae meae conversatio nec quidquam digne egi in conspectu tuo. Ad te igitur confugio, tuam clementiam exoro. Tu pro me loquere, tu pro me supple. Tu per puras clarissimorum oculorum tuorum lacrimas ablue omnes peccantium oculorum meorum maculas.

Digitized by Google

Tu per dulcem benedictarum aurium tuarum pietatem ablue omnem peccantium aurium mearum iniquitatem. Tu per puram sanctissimorum cogitatuum tuorum intentionem ardentemque transfixi Cordis tui amorem ablue omnem malarum cogitationum mearum et criminosi cordis mei reatum. Tu per vividam dulcium verborum benedicti oris tui potentiam absterge omnem polluti oris mei offensam. Tu per operum tuorum perfectionem manuumque tuarum crucifixionem ablue omnem impiarum manuum mearum offensionem. Tu per dolorosam benedictorum pedum tuorum fatigationem dirissimamque perforationem ablue omnem peccantium pedum meorum maculationem. Tu per vitae tuae nobilem innocentiam puramque sanctitatem ablue omnem corruptae vitae meae foeditatem. Tu demum per pretiosissimi sanguinis tui nobile lavacrum ablue, emunda et exstingue omne cordis et animae meae piaculum, ut per sanctissima merita tua mundus inveniar et deinceps immaculatus omnia mandata tua servare merear. Amen.

Digitized by Google

Oratio devota, qua peccator per passionem Christi rogat sibi ignosci.

Adoro et veneror te, mitissime Domine Iesu, in crucis patibulo pendentem et sanguinem tuum roseum pro expiando mundi scelere fundentem. Accuso me in contritione cordis mei de multifaria tibi a me irrogata iniuria et infidelitate. Bone Iesu, fateor, quod propter nefaria scelera mea passionis et mortis tuae sim causa, quodque in passione tua magis poenosa tibi fuerint mea peccata, quam impiorum lictorum tunsiones et verbera. Tibi igitur confiteor et revelo malitiam et iniquitatem meam et in spiritu humilitatis ante crucem tuam prostratus veniam deprecor. Omnes iniquitates et peccata mea demergo in abyssum misericordiae et clementiae tuae et in cruenta vulnera tua, quae accepisti meae salutis causa: orans, ut illa pretioso sanguine tuo et virtuosa aqua sanctissimi lateris tui ita abluere et abstergere velis, ut nulla apud te eorum memoria perseveret. In perfectam emendationem et expiationem

Digitized by Google

omnium criminum, quae ego cogitationibus, desideriis et perversis affectibus cordis mei commisi, offer aeterno Patri tuo immaculatum Cor tuum cum omni bono, quod in se continet. Et pro omnibus inutilibus et noxiis verbis, quae ore meo locutus sum, exhibe ei omnia sacratissimi oris tui exercitia, atque pro omnibus perversis operibus, quae perpetrarunt manus meae, ostende ei perforatas manus tuas tuaque innocentia Deum Patrem placa, ut per te perfectam merear criminum meorum obtinere indulgentiam. Pro quo sit tibi exhibitio suavitatis illius, quam in trina Deitate persona personae communicat. Amen.

Alia oratio.

Ex l. 2. Rev. S. Gert.

Domine Iesu Christe, superefluens fons omnis misericordiae, ecce ego misera et infelix creatura tua revertor iterum ad te et in amaritudine cordis mei accuso me, quod proposita mea non servaverim; sed in pristina mea peccata et errores relapsus sim, neglegentissime tibi serviverim, in

Digitized by Google

devotione et amore tui nimium tepidus et neglegens exstiterim, rebus vanis et transitoriis me nimium implicaverim, terrenas et noxias delectationes nimium quaesierim atque in his aliisque innumeris peccatis et neglegentiis meis te dulcissimum sponsum animae meae multipliciter offenderim. Quamvis tua beatitudo, Deus meus, nec crescere nec decrescere possit, cum bonorum nostrorum non egeas: tam culpabilis tamen tamque neglegens vita mea (si dici potest) cessit in notabile detrimentum laudis et gloriae tuae. Quid super his sentiat vel saltem sentire vellet cor meum, tu Deus meus optime nosti. Unde et in amara contritione cordis mei confiteor tibi, Pater benignissime, omne id, in quo tu me reum nosti: humillime rogans, ut, quidquid ex malitia, nequitia et neglegentia contra te deliqui, suppleat vis amoris illius, cuius plenitudo habitat in eo, qui sedens ad dexteram tuam factus est os ex ossibus meis et caro de carne mea. Nam per eum in virtute Spiritus Sancti cum ea nobilitate compassionis, humilitatis et reverentiae,

Digitized by Google

sicut dedisti nobis posse, per eundem offero tibi querimoniam infelicitatum mearum nimium multarum, quibus premor contra tam nobilem divinam bonitatem tuam, quam cogitatu, verbis et factis multimode impugnavi: offerens et exhibens tibi in suppletionem omnium neglegentiarum et in plenam abolitionem omnium iniquitatum mearum, excellentem illam dilectissimi Filii tui orationem, quam prae mortis angustia sanguinei sudoris sui testimonium reddidit attentam et innocentia purae simplicitatis suae devotam et ardens amor divinitatis efficacem. Amen.

Oratio ante confessionem.

Dulcissime Iesu, qui ex amore salutis humanae Sacramentum confessionis ad consolationem omnium peccatorum instituisti, ut eius virtute ab iniquitatibus nostris emundari amissamque gratiam tuam recuperare valeamus. Ecce ego miserrimus peccator, qui denuo multipliciter deliqui animamque meam omnimodis sordibus inquinavi, revertor ad te, atque cum fir-

Digitized by Google

missima spe et fiducia remissionis peccatorum meorum hoc tam nobile Sacramentum recipiam, nec non et de omnibus et singulis peccatis, quantum quidem memoriae meae occurrere poterunt, cum summa humilitate animique contritione coram sacerdote tuo vices tuas gerente me accusabo: nec ullum peccatum mortale, quantumcumque foedum et turpe, scienter reticebo. Illa vero, quae memoriam meam subterfugerunt, sicut et omnia venialia peccata mea huic sacrae confessioni inclusa velim, eaque tibi tamquam pontifici omnium maximo confiteor, atque coram tota caelesti curia me perfidum et crimine laesae maiestatis tuae reum proclamo. Rogo ergo te, Pater clementissime, ut digneris eodem miserationis oculo, quo Filium tuum in monte Oliveti in faciem suam prostratum totoque corde de omnibus hominum peccatis contritum respexisti, me miserum intueri totoque cordis affectu veniam petentem exaudire. In suppletionem contritionis meae, quam ut par est, non habeo, offero tibi vehementem illum dolorem,

Digitized by Google

quem Unigenitus tuus toto tempore mortalitatis suae super omnibus mundi peccatis in Corde suo dulcissimo semper persensit, maxime cum in monte Olivarum prae eiusdem vehementia sanguinem sudaret: rogans, ut in balneo eiusdem sacratissimi cruoris animam meam ab omnibus inquinamentis suis abluas atque nivea puritate tua condecores. Amen.

Brevis et efficax modus eliciendi contritionem, cuius efficaciam vide in Revel. S. Mecht.

(P. 4, c. 23.)

O dulcis Iesu, doleo de peccatis meis, et quod mihi de vero dolore deficit, digneris supplere pro me Deoque Patri omnem dolorem, quem super meis totiusque mundi peccatis habuisti, offerre. Amen.

Ingressurus confessionale dic:

Ecce Domine, ego vilis peccator, pauper, malus et indignus venio ad te supereffluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula et munder ab omni peccato. Amen.

Digitized by Google

Post confessionem dic Psalmum 102 vel integrum vel abbreviatum, ut sequitur.

Benedic anima mea Domino: et omnia quae intra me sunt, nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino: et noli oblivisci omnes retributiones eius.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Miserator et misericors Dominus: longanimis et multum misericors.

Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Benedicite Domino omnes angeli eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Digitized by Google

Benedicite Domino omnia opera eius, in omni loco dominationis eius: benedic anima mea Domino.

Gloria Patri etc.

Oremus.

Omnipotens et misericors Deus, cuius misericordiae non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus; piissimae maiestati tuae ex toto cordis ac mentis affectu gratias ago pro exuberantissima bonitate tua, quam ostendisti super me, dum tam clementer peccata mihi indulsisti et gratiam tuam mihi retribuisti. Benedicta sit divina pietas tua, et benedictus sit incomprehensibilis amor dilecti Filii tui, qui eum induxit hoc tam facile efficacissimumque remedium, quo a peccatis nostris liberari valeamus, instituere. Unde in unione omnium gratiarum actionum, quae tibi ab omnibus vere paenitentibus habitae sunt, concino tibi laudes et gratiarum actiones, ex parte omnium caelestium, terrestrium et infernorum, nunc et in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Oratio ante paenitentiam dicenda.

Et quoniam, o mitissime Deus, multiplicibus peccatis et neglegentiis meis maximam tibi irrogavi iniuriam: ideo etiam paratus sum divinae iustitiae tuae perfectam satisfactionem, secundum quod vires meae se extendunt, rependere. Igitur paenitentiam illam a confessario nomine tuo mihi impositam fideliter summaque cum devotione persolvam. Et utinam tali devotione et amore eandem persolvere possem, ut plus tibi beneplaciti et oblectationis causarem, quam tibi per peccata mea iniuriae et contumeliae irrogavi. Quod ut perficere valeam, unio et immergo hanc meam paenitentiam in omnia opera satisfactoria, quae dilectus Filius tuus triginta tribus annis ieiuniis, vigiliis et orationibus perfecit, et in unione omnium illorum offero tibi hanc orationem et paenitentiam meam. Respice igitur, amantissime Pater, super me obligatissimum debitorem tuum sacris pedibus tuis advolutum irrogatasque tibi iniurias reciproco amoris

Digitized by Google

obsequio rependere satagentem: tantamque mihi concede virtutem et gratiam, ut iuxta tuum sanctum beneplacitum hanc orationem perficiam. Amen.

Hic ora paenitentiam tibi iniunctam eamque sequenti oratione conclude.

Sanctissime Pater, in unione omnium paenitentiarum, quae umquam pro gloria nominis tui adimpletae sunt, offero tibi hanc meam confessionem et satisfactionem; rogans, ut eandem per merita passionis dilecti Filii tui perque intercessionem B. Mariae Virginis et omnium ss. apostolorum, martyrum, confessorum atque virginum ratam ac mihi salutarem habere et efficere digneris. Et quidquid mihi defuit de sincera praeparatione, perfecta contritione, fideli et dilucida confessione, id omne commendo dulcissimo Cordi Unigeniti tui, tamquam bonorum omnium gazophylacio, ex cuius abundantia omne debitum tibi plene suppletur: ut per id ipsum omnes defectus et neglegentiae meae in susceptione huius Sacramenti commissae plene et perfecte ad aeternam laudem tuam

Digitized by Google

suppleantur, meque tam efficaciter absolvere velis in caelis, sicut minister tuus tua auctoritate me absolvit in terris. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum: Qui tecum etc.

Oratio a sacerdote ante administrationem Sacramenti dicenda.

Domine Iesu, hoc sacrum paenitentiae Sacramentum administrare volo in amore illo superexcellenti, quo illud sanctificasti, cum prae vehementissimo salutis nostrae desiderio illud instituisti et ab apostolis eorumque successoribus administrari voluisti, ad laudem Dei Patris et salutem totius generis humani: rogans, ut in unione amoris tui tam mihi quam omnibus et singulis, quibus illud ministrabo, cedat in augmentum salutis et beatitudinis aeternae. Spiritus Sancti gratia ita illuminet, accendat et conservet sensus meos et cor meum, ut iuxta tuum summum beneplacitum iniunctum ministerium perficere et ab omni tentationum incursu praemuniri et prae-

Digitized by Google

servari merear: In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Oratio sacerdotis post auditas confessiones.

Domine Iesu Christe, Fili Dei vivi, suscipe hoc obsequii mei ministerium in amore illo superdignissimo, quo B. Mariam Magdalenam omnesque ad te confugientes peccatores absolvisti. Et quidquid in sacramenti huius administratione neglegenter minusque digne perfeci, tu per te supplere et satisfacere digneris. Omnes et singulos, qui mihi modo confessi sunt, commendo dulcissimo Cordi tuo, rogans, ut eosdem custodias et a recidiva praeserves atque post huius vitae miseriam tecum ad gaudia perducas aeterna. Amen.

Digitized by Google

PARS DECIMA.

ORATIONES ANTE ET POST COMMUNIONEM.

Praeparatio ad sacram Synaxin.

Mitissime suavissimeque Iesu, ego omnium creaturarum indignissimus, sacratissimum corporis et sanguinis tui Sacramentum ceu praestantissimum contra omnes corporis et animae meae miserias remedium suscipere et sumere statui, certo confidens firmissimeque credens, me per hoc non solum meis provisurum necessitatibus, sed etiam tuae supremae maiestati omnibusque caelorum incolis summum praestiturum beneplacitum. Verum, o summa ineffabilisque maiestas, coram qua caeli immundi sunt universaeque caelorum columnae contremiscunt, quomodo ego vilissimus

Digitized by Google

terrae vermiculus, ego omnium foeditatum miseriarumque sentina, te totius puritatis fontem in tam immundum cor meum suscipere audebo? Quomodo praesumam te in tale cor introducere, quod undique spinis et tribulis peccatorum consitum tamque tetro carnalium et mundanorum desideriorum odore refertum est? Quare, o piissime amator meus, erubesco nimis coram te vereorque nimis, ne magna te afficiam contumelia, si te in tam sordidum maiestateque tua tam indignum introducam coenaculum. At, o Iesu benignissime, qui ore tuo dixisti: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus;*[1] quique caecos et claudos, pauperes ac debiles ad coenam tuam invitasti, ecce ego quasi unus ex illis, immo pauperrimus et miserrimus inter omnes illos, non ex praesumptione sed ex humili piaque confidentia ad sacratissimam corporis et sanguinis tui coenam accedam.

Quae sequuntur, sunt ex S. Gertrude (l. 2 et 3).

De omnibus et singulis peccatis et neglegentiis meis, quibus dulcissimam

[1] Matth. 9, 12.

Digitized by Google

benignitatem tuam umquam offendi et contristavi atque animam meam tam foetentibus sordibus inquinavi, amore tui vehementissime doleo. O utinam et millies utinam totum mare versum in sanguinem ducere possem per caput meum, ut vel sic mundaretur sentina extremae vilitatis meae, quam tu finis meus inexcogitabilis dignitatis inhabitare elegisti. O utinam et millies utinam cor meum extractum a corpore daretur mihi candentibus carbonibus frustatim adeo examinandum, ut, decocta ad purum scoria eius, saltem si non dignam, non tamen nimis indignam tibi praebere possem mansionem.

Sed quid valet me multum anxiari, cum etiamsi mille anni studio meo relinquerentur, nequaquam tamen me decenter praepararem; cum ex me nihil omnino habere queam, quod aliquo modo valeat ad tam sumptuosam praeparationem. Unde, amantissime Iesu, in humilitate cordis mei procidens ad terram exoro clementiam tuam, ut me praeparare digneris, quo ad laudem tuam et profectum universitatis

Digitized by Google

caelestibus epulis digne possim participari. Piissimae pietati tuae offero et praebeo totam substantiam meam, desiderans et orans, ut tu ipse tibimet in me praepares, quidquid tuam divinam in me summe delectare possit benignitatem. Offero et praebeo tibi, amator praedulcissime, integra voluntate totum cor meum, orans, ut abluas illud in virtuosa aqua sanctissimi lateris tui et decentissime illud exornes in pretioso sanguine dulcissimi Cordis tui ac tibi convenientissime coaptes in aromatico vapore divini amoris tui. Amen.

Ad omnes sanctos.

Ex S. Gertrude (l. 3, c. 10).

O vos omnes sancti et sanctae Dei, maxime vero vos, dilectissimi patroni mei, ex intimo cordis affectu saluto et veneror vos. Adoro et benedico immensam bonitatem et dignationem semper venerandae Trinitatis pro omni gratia, quae ex ipsius superaffluentia abyssali umquam defluxit in salutem vestram: supplicans omnibus communiter et singulis singulariter, ut

Digitized by Google

quilibet vestrum ad sacrificium fulgidae semperque tranquillae Trinitatis in supplementum neglegentiarum et indignitatis meae offerre dignetur omne studium et praeparationem, qua die assumptionis vestrae perfectissime consummati, conspectui gloriae Domini adstitistis aeternis praemiis remunerandi. Amen.

Ad quod impetrandum dic cum S. Gertrude Psalmum „Laudate Dominum omnes gentes".

Ad beatissimam Virginem.

Has tres oratiunculas B. Virgo docuit S. Gertrudem, eam certificans, quod virtute earum ss. Trinitatem in sui complacentiam esset inclinatura. (L. 4, c. 48.)

Castissima Virgo Maria, rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei in utero virginali placitam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

Humillima Virgo Maria, rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros angelorum et sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes neglegentiae meae.

Digitized by Google

Amabilissima Virgo Maria, deprecor te per amorem illum inaestimabilem, qui te inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus praestetur mihi copia diversorum meritorum. Amen.

Ad Christum.

Cum B. Gertrudis communicatura hanc oratiunculam orasset et investigare niteretur, quid per eam lucrata esset, Dominus respondit: Hoc lucrata es, quod iam vere omnibus caelicolis appares in eo ornatu, quem tibi petiisti. (L. 3, c. 34.)

Amantissime Domine Iesu, per amorem dulcissimi Cordis tui deprecor, ut tu ipse pro me offerre digneris perfectionem illam, qua in hora ascensionis tuae paratus adstitisti Deo Patri ad suscipiendam glorificationem, sordidamque animam meam per tuam innocentissimam humanitatem reddere puram et ab omni peccato immaculatam, et per excellentissimam divinitatem tuam omnigena virtute ditatam et ornatam, nec non per virtutem amoris illius, qui summam divinitatem coniunxit cum immaculata tua humanitate, eam omnibus donis tuis convenientissime adaptare digneris. Amen. (L. 5, c. 29.)

Digitized by Google

Oratio ante Communionem.

Brevi accessurus sequere consilium Christi S. Mechtildi propositum dicentis: Cum communicatura es, suscipe me tali intentione, ac si omne desiderium et amorem, quo umquam humanum cor accensum fuit, haberes. Atque hunc amorem suscipiam in te, non qualis in te est, sed quasi talis ac tantus esset, qualem tu esse desideras. (P. 3, c. 23.)

O Iesu millies desideratissime, ecce nunc appropinquat hora, hora inquam illa felicissima, qua te Deum meum in animam meam suscepturus sum. Ecce, Iesu mi amabilissime, cum summa qua possum devotione et reverentia venio ad te et vado in occursum tui. Extende igitur sacratissimas manus tuas ad amplexandam animam meam, sicut easdem perforatas manus tuas inter maximos mortis dolores ad amplexandos omnes peccatores extendisti. Ego, o mi Iesu crucifixe, non solum manus meas, verum et cor et animam meam ad te amplexandum et in cordis mei penetrale introducendum extendo. O utinam talem ac tantam devotionem, talem ac tantum amorem, talem ac tantam munditiem, qua ullum umquam humanum cor ornatum fuit, in me haberem! O utinam et millies uti-

Digitized by Google

nam omni virtute, omni desiderio omnique devotione repletus essem! O utinam et millies utinam omnium angelorum puritatem, omnium apostolorum caritatem, omnium martyrum merita, omnium confessorum sanctitatem, omnium virginum haberem puritatem et munditiem! O utinam et millies utinam tali devotione, reverentia et amore te possem suscipere, sicut beatissima Mater tua te in tua incarnatione et postmodum in Sacramento suscepit! O utinam et millies utinam tuum sacratissimum ac divinissimum Cor haberem, ut te ipsum in illud ipsum tali, quo dignus es, modo suscipere possem!

Offero tibi, Iesu dulcissime, in condignam praeparationem animae meae et in suppletionem omnis indignitatis omniumque neglegentiarum mearum, universas praeparationes, devotiones, affectus et amores, quibus omnes sancti tui, maxime vero beatissima Mater tua te in hoc Sacramento susceperunt. Offero tibi, Iesu sacratissime, tuum superdignissimum Cor omnesque supercaelestes virtutes et gratias, quas

Digitized by Google

beatissima Trinitas in id ipsum superabundantissime contulit, ut iisdem abyssalis illa vilitas et indignitas mea contegatur tibique in anima mea dignissimum placidissimumque habitaculum praeparetur.

Invitatio Iesu.

O Iesu superdulcissime, qui ipsemet dixisti delicias tuas esse cum filiis hominum: te desiderat anima mea, te affectat cor meum. Invito te igitur tali devotione et amore, quali ulla umquam amantissima anima te ad se invitavit. Veni ergo, dilectissime sponse animae meae, veni, dilectissime amor animae meae, et diverte in pauperculum diversorium cordis mei. Veni, caelestis medice, veni et sana infirmam animam meam: veni, amice millies dilectissime, et dita extremam paupertatem meam.

Veni, sol amabilissime, et illumina densissimas tenebras animae meae. Veni, manna suavissimum, et satura nimiam esuriem meam. Veni, Iesu delectabilissime, veni, dilecte votorum meorum, veni et coena

Digitized by Google

mecum in vili coenaculo cordis mei. Et licet nihil, quod divinam tuam possit condecere magnificentiam, praeparaverim, invenies tamen integram patinam bona voluntate summoque in te affectu refertam.

O unice amor meus, summo tui teneor desiderio summoque te praestolor amore. O speciosissime inter filios hominum, o fons supereffluentis dulcedinis, o suavissima suavitas omnis delectationis! ah veni ad me, et ne spernas pauperculum servum tuum.

Hic cum S. Gertrude (l. 4, c. 23) osculans imaginem Christi dic:

O Iesu amantissime, ex intimo cordis affectu te deosculans rogo cum affectu omnium orationum, quae umquam de Corde tuo dulcissimo profluxerunt, ut ad hospitiolum cordis mei digneris declinare.

Iamiam accessurus dic, quod Christus S. Gertrudem (l. 3, c. 28) docuit:

Ecce Domine, ego vilis peccator, pauper, malus et indignus venio ad te supereffluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula et replear omni gratia.

Digitized by Google

Sequentia verba dic cum magno affectu; sicut Christus dixit S. Gertrudi (l. 2, c. 19), quod qui tali intentione ad Communionem accederet, numquam irreverenter accedere posset.

Et licet sciam me extreme indignissimum, immo exsecrandum et abominandum peccatorem, de ineffabili tamen pietate tua confisus, eo modo et intentione ad hanc sacratissimam corporis et sanguinis tui participationem accedo, ut amore amoris et gloriae tuae parvi pendam, etiam (si possibile esset) quod magnam damnationem mihi in Sacramento sumerem, ut tantummodo divina pietas tua magis clarescat per hoc, quod te tam indigno non dedignaris communicare.

Dum sedes in scamno communicantium, indesinenter suspira ad dilectum tuum, dicens:

Veni, bone Iesu, veni, sponse animae meae: et in illo amore, quo intrasti in uterum virginis, intra in pauperculum cor meum etc.

Post Communionem.

O bone Iesu, o dulcis Iesu, o amabilissime Iesu, o Iesu, unica salus et con-

Digitized by Google

solatio mea. Et unde mihi hoc, quod venias ad me atque in immundissimum cor meum nimiis sordibus et peccatis inquinatum intrare non refugias. Benedictus sit adventus tuus et benedicta dulcedo amoris tui, quae te induxit me pauperculum visitare. Cum summa humilitate profundissimaque reverentia procidens sacratissimosque pedes tuos exosculans adoro te, humillime rogans, ut ignoscas mihi, quod cum tanta neglegentia, distractione et indevotione (Sacerdos addat: sacro altari adstiti, tam irreverenter te tractavi, tamque indigne) te Dominum Deum suscepi. Ignosce mihi, Iesu benignissime, et per saluberrimam mortem tuam dele iniquitatem hanc maximam, et quidquid per me neglexi, tu per te supplere dignare. Obsecro igitur, digneris hanc meam Communionem (hoc meum altaris ministerium) in Cor tuum suscipere atque in illo amore et virtute, qua te ipsum in cruce obtulisti, Deo Patri offerre.

Et nunc, o bone Iesu, offero et praebeo tibi indignissimum cor meum, orans, ut abluas illud pretiosissima illa aqua, quam

Digitized by Google

divinus amor ex nobilissima rosa dulcissimi Cordis tui in fornace amoris eduxit: illudque aspergas et confortes suavissimo illo vino sacratissimi sanguinis tui, quod torcular crucis e botro divini pectoris tui expressit. Amen.

Oblatio ad Patrem.

Sanctissime Pater, ecce ego indignissimus famulus tuus, confidens de tua ineffabili pietate, suscepi dilectum Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, eumque in pectore meo tamquam rem meam mihique coniunctam adhucdum contineo. Illum ergo Filium tuum in modum iusti Simeonis in ulnas meas suscipiens, offero tibi tali affectu et intentione, quali semet ipsum ad laudem tuam obtulit iacens in praesepio et pendens in cruce. Respice, pie Pater, ad hanc oblationem, quam ego indignus famulus tuus offero tibi, Deo meo vivo et vero, ad aeternam laudem et gloriam infinitumque beneplacitum tuum.

Offero tibi eundem pro me et pro omnibus iis, pro quibus soleo et teneor orare:

Digitized by Google

in gratiarum actionem omnium beneficiorum nobis collatorum, in suppletionem omnium virtutum bonorumque operum, in quibus ex mera neglegentia nos exercere negleximus: ad impetrandam gratiam et misericordiam tuam, quae nos a malis et peccatis praeservet et eruat, in omni corporis et animae necessitate assistat et per felicem obitum ad gaudia perducat aeterna. Demum offero tibi illum ipsum pro remissione peccatorum meorum et satisfactione poenarum: quorum multitudo ultra decem millia talenta excrevit; pro quibus exsolvendis cum longe sim impar, ideo humiliter tibi procidens, confiteor tibi, Pater benignissime, atque in amaritudine passionis innocentissimi Filii tui (in quo tibi summe complacere testatus es) et per ipsum exhibeo tibi emendationem et satisfactionem pro peccatis meis, offerens tibi poenas et lacrimas eiusdem omnemque satisfactionem, qua ipse in cruce universa mundi peccata expiavit.

Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos praeces-

Digitized by Google

serunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis, pro quibus omnibus et singulis (maxime pro NN.) offero tibi salutarem hostiam corporis et sanguinis Filii tui, quam modo suscepi: rogans, ut per eiusdem infinitum valorem perque merita omnium sanctorum peccata eorum condones et a poenis eos clementer absolvas. Amen.

Oblatio ad sanctos.

Beatissima Virgo Maria, ecce Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti atque suavissimis amplexibus strinxisti: ecce, cuius aspectu laetabaris et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum, quem ex inaestimabili divinae bonitatis dignatione hodie dono datum in corpus et animam meam suscepi, tibi humiliter et amanter repraesento et offero tuis brachiis constringendum, tuo ore exosculandum, tuo corde amandum et una mecum, immo pro me adorandum, nec non et SS. Trinitati in supremum latriae cultum, pro meis totiusque mundi necessitatibus offerendum: ut quod meis meritis non

Digitized by Google

praesumo, tuae praerogativa dignitatis in hac oblatione suppleatur.

O vos, omnes sancti et sanctae Dei, maxime vero vos, dilectissimi patroni mei, ecce Dominum et sponsum vestrum Iesum Christum, quem viventes in carne tota mente dilexistis: vos omnes et singulos saluto per eum, quem modo in Sacramento suscepi, et in singulare augmentum gaudii, gloriae ac beatitudinis vestrae offero vobis eum cum omni amore et fidelitate, quae in tempore vobis exhibuit et modo in aeternitate incessanter exhibet: orans, ut eundem pro me adoretis et colatis atque SS. Trinitati pro meis totiusque ecclesiae necessitatibus proque gratiarum actione omnium beneficiorum mihi collatorum summa devotione offeratis. Et quidquid per me impetrare nequeo, vestris meritis et precibus impetrare merear. Amen.

Gratiarum actio.

Cor meum et anima mea, cum tota substantia carnis meae omnibusque sensibus et viribus corporis et spiritus mei,

Digitized by Google

cum universitate totius creaturae, laudes et gratiarum actiones dicant tibi, dulcissime Iesu, fidelissime amator humanae salutis, pro dignantissima misericordia tua, quam mihi servorum tuorum indignissimo in sacratissimo corporis et sanguinis tui convivio exhibuisti. O dulcissime Deus, licet omnia et singula momenta vitae meae non nisi continuae gratiarum actiones essent, non tamen responderem tibi unum pro mille. Ideo insufficientiam meam agnoscens offero tibi, o B. Trinitas, omnes illas laudes et gratiarum actiones, quas sacratissima humanitas Domini nostri Iesu Christi toto tempore vitae suae, maxime cum hoc Sacramentum instituit, tibi persolvit. Suscipe, o pie Pater, et illas quas tibi offero gratiarum actiones, quas B. Virgo Maria omnesque sancti et sanctae Dei tibi umquam, maxime cum hoc Sacramentum susceperunt, toto cordis ac mentis affectu persolverunt: et concede propitius, ut omnis mea insufficientia et neglegentia eorum abundantia et perfectione suppleatur. Amen.

Digitized by Google

Conclusio longe efficacissima.

Ex S. Gert. (l. 5, c. ult.).

Hoc igitur SS. Sacramentum, o Christe Iesu, quod ex intimis tui amorosi Cordis produxit efficax dulcor tuae investigabilis divinitatis, quodque mihi tam benigne modo communicasti, offero tibi ex affectu totius universitatis, in unione illius excellentissimae caritatis, qua tu altissimi Patris Unigenitus omnem influxum divinitatis, qui in tuam deificatam humanitatem descendit, cum plena gratitudine offerens refudisti in abyssum originis tuae: orans cum desiderio et affectu omnium creaturarum, ut ipsum tibi intrahas per affectum suavissimi spiritus tui in laudem aeternam, immensam et incommutabilem, quam inscrutabilis sapientia tua altissime cognoscit superexcellentem Dei Patris omnipotentiam condecère atque inaestimabiliter suavifluam Spiritus Sancti benevolentiam oblectare: nec non et in plene sufficientem gratiarum actionem omnis boni et gratiae, quam per id ipsum Sacramentum operatus es et

Digitized by Google

in aeternum operaberis in corde et anima ipsum recipientis: item et in dignam emendationem omnium, in quibus neglegentius studium, praeparatio et devotio mea omisit id ipsum digne suscipere: et demum in summam gratiarum actionem, quod incomprehensibilis bonitas tua me extremae vilitatis vermiculum admittere dignata est ad regale convivium caelestium deliciarum tuarum. Pro quo, cum in nullo parvitas mea tibi respondere possit, offero tibi Cor tuum dulcissimum ac unice dignissimum in ea dignitate, qua plenum est divina gratitudine atque omnimodae beatitudinis perfectione superexcellens in perpetuum. Amen.

Tres orationes pro lucrandis indulgentiis.

Si lucrandae sint indulgentiae plenariae et praeter confessionem et Communionem etiam praescribitur, ut ecclesiam visites, ibique pro felici statu s. rom. ecclesiae ad intentionem summi Pontificis ores: his tribus vel aliis similibus orationibus uti poteris.

Oratio prima pro ecclesia.

Benignissime Domine Iesu Christe, qui sanctam ecclesiam tuam in sponsam

Digitized by Google

elegisti eamque tanto dilexisti amore, ut vitam et sanguinem tuum pro ea perfuderis: rogamus clementiam tuam, ut eandem pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum. Aspice, Iesu clementissime, quam pertinaciter ab hostibus suis oppugnetur. Aspice, quam violenta rabie portae inferi adversus eam consurgant. Ne quaeso permittas, ut adversus eam praevaleant: sed defende et conserva eam in magnitudine bracchii tui. Intuere etiam, Iesu piissime, quanta neglegentia et quam indecore divina tua officia peragantur, quam sacer cultus tuus iaceat, quamque exigua scientia Dei sit in terra. Mitte igitur ferventes et indefessos operarios in messem tuam, qui eam excolant, promoveant et in horrea tua congregent. Concede etiam universis fidelibus tuis, ut ecclesiae tuae sanctae obediant eiusque praecepta servent et in omni bono de die in diem ad maiorem tui nominis gloriam proficiant. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Digitized by Google

Oratio secunda pro exstirpatione haeresum.

Pientissime Domine Iesu Christe, verum lumen ad illuminationem gentium, obsecramus clementiam tuam, ut respicias super interitu tot animarum, quae fraude serpentis antiqui et deceptione haereticorum in profundas errorum tenebras inciderunt. O misericordissime Iesu, estne possibile, quod miseras illas animas, pretiosissimo sanguine tuo redemptas, a satana decipi eiusque potestati subdi patiaris? Estne possibile, quod in dies tot miserandas animas defectu verae fidei in abyssum inferni detrudi permittas? Recordare, o Christe Iesu, quot laboriosa itinera pro salute earum susceperis, quotque vulnera et plagas in redemptione earum acceperis. Rogamus igitur per virtutem amarissimae passionis et mortis tuae, ut exsecrandas illas haereses funditus exstinguere atque indurata haereticorum corda ad veram fidem convertere digneris. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Digitized by Google

Oratio tertia pro concordia principum.

Dulcissime Iesu, auctor et amator unitatis et pacis, rogamus clementiam tuam, ut omnibus principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris, ut ecclesia tua tranquilla semper devotione laetetur. Recordare, Iesu pie, quam multus innoxius sanguis per bellorum tempestates effundatur; aspice, quam multi in extremas corporis et animi angustias deiciantur. Ah, Iesu amantissime, qui pacem semper summe amasti eamque discipulis tuis toties apprecatus es: rogamus te per ineffabilem Cordis tui amorem, ut reges et principes christianos pacificare et arctissimo concordiae vinculo colligare digneris: ut plebs tua in quiete et pace gubernari inque tuo sancto servitio confortari et conservari mereatur. Quod nobis praestare digneris per infinitam misericordiam et bonitatem tuam. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Digitized by Google

PRAEPARATIO SACERDOTIS AD ALTARE ACCESSURI.

O summa et adoranda Trinitas, ego licet omnium peccatorum maximus, attamen per gratiam tuam ad sacerdotale munus vocatus, ad sacrosancta haec mysteria tractanda sacrificiumque hoc incruentum offerendum accedere intendo. Igitur in unione illius immensae caritatis, qua tu, Pater aeterne, sic dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares: in unione illius infinitae dilectionis, qua idem Unigenitus tuus humanam naturam assumpsit sacrificiumque istud instituit et offerri voluit et semet ipsum in ara crucis pro nobis obtulit, atque adhucdum in caelo tamquam fidelissimus advocatus ostendendo cicatrices et vulnera se incessanter offert:

Digitized by Google

et demum in unione amoris, reverentiae et devotionis, qua ullus umquam sacerdos id ipsum obtulit, ad altare tuum accedam atque tremendum hoc sacrificium una cum omnibus totius mundi sacrificiis offeram.

Igitur super altare tuum, sanctissime Pater, pono et offero omnia merita, virtutes et bona opera, quae Unigenitus tuus toto tempore vitae suae peregit, maxime vero sanctissimam eius passionem, crucem et mortem, humanitatem et divinitatem, et in unione horum offero tibi omnia merita B. Mariae Matris eius omniumque sanctorum: omnia vulnera et dolores ss. martyrum: omnes mortificationes et austeritates confessorum omnemque continentiam et amorem virginum: omnes tribulationes et gemitus afflictorum, omnes miserias et indigentias pauperum, et demum totum thesaurum s. matris ecclesiae. Cui specialiter addo omnia dicta, facta et cogitata, quae ego meique speciales amici pro honore tuo umquam fecimus, omnemque adversitatem, quam propter te susti-

Digitized by Google

nuimus. Et utinam omnia opera nostra talia fuissent, ut tibi offerri et praesentari possent: sed qualia sunt, tu ea dignanter accipe.

Et haec omnia bona opera atque passiones, huic sacrificio unita, offero tibi, sanctissime Pater, per unigenitum Filium tuum, in virtute Spiritus Sancti, nomine meo omniumque amicorum meorum atque totius sanctae ecclesiae, ad summam aeternae maiestatis tuae gloriam, cultum et adorationem tibi supremo rerum omnium Domino debitam: in veram et condignam gratiarum actionem pro omnibus inexhaustae bonitatis tuae divitiis, quas humanitati Domini nostri Iesu Christi, beatissimae Virgini Mariae omnibusque sanctis in caelo ac creaturis in toto hoc mundo, maxime vero mihi meisque specialibus amicis in corpore et anima umquam contulisti: in plenam abolitionem omnis iniuriae ab omnibus peccatoribus, quorum ego pessimus sum, tibi irrogatae: ac demum in tuum summum beneplacitum, gaudium et oblectationem, quam

Digitized by Google

ex hoc tam grato tibi sacrificio semper percipis.

Deinde offero tibi illud pro s. matre ecclesia omnibusque eius membris et filiis, rogans per infinitam huius sacrificii virtutem, ut eam custodire, dilatare et in omni bono perficere velis: item in satisfactionem et expiationem omnium peccatorum totius mundi, maxime eorum, quae, eheu, ego specialesque amici mei commisimus.

Demum quanta possum virtute et efficacia offero tibi illud pro me indignissimo famulo tuo, nec non et pro parentibus, fratribus, sororibus, consanguineis et benefactoribus meis: pro omnibus afflictis, infirmis, egenis et in quacumque tribulatione constitutis; ac pro omnibus, pro quibus Filius tuus se ipsum immolavit et adhuc immolari desiderat: et demum pro omnibus in purgatorio detentis, maxime pro NN., et pro quibus me scis obligatum.

Ecce Domine, quia me voluisti fungi sacerdotio, pro his omnibus legatione fungor apud te, omnes isti exspectant elevationem

Digitized by Google

manuum mearum, oblationem sacrificii huius. Pro his omnibus accedam ad altare tuum, portans iniquitates et miserias tam meas quam omnium illorum, quas tibi in spiritu humilitatis et in animo contrito offeram et ante oculos tuos statuam; ut virtute huius sacrificii peccata nostra aboleantur et miseriae nostrae adiuventur.

Verum, o Domine, quomodo pro peccatis alienis intercedam, qui de propriis non sum securus? Quomodo pro aliis misericordiam implorabo, qui ob perditam vitam et depravatos mores meos me omni tua gratia et misericordia indignum feci? Igitur in amaritudine passionis tuae moveo querimoniam, dolens et paenitens de omnibus modis, quibus gratiae tuae obicem posui, spiritum tuum in me exstinxi tamque multiplicibus peccatis et neglegentiis meis te offendi. Super quibus ascendat ad te gemitus cordis mei et suscipe quam tibi offero querimoniam infelicitatum et pravitatum mearum nimis multarum. Dele, piissime Iesu, omnia peccata mea (de quibus vehementer doleo) in illo amore, quo totius

Digitized by Google

mundi peccata lavisti. Riga aridam animam meam lacrimis, quas fudisti, unge eam myrrha dolorum, quos sustinuisti, et purifica eam pretiosissimo sanguine tuo, quem tam copiose effudisti. Emitte manum tuam de alto et corrobora ac dignifica me in hac hora ad sacrificium rite celebrandum. Spiritus Sanctus superveniat in me et virtus Altissimi obumbret mihi, ut citra damnationem assistere merear metuendo altari tuo: teque Agnum Dei immaculatum mundo corde et immaculatis manibus tractem, offeram et immolem in laudem tuam aeternam et ad salutem totius universitatis. Amen.

Si tempus supersit, adde adhuc illas orationes, quae habentur ante Communionem: incipiendo ab illa quae est ad omnes sanctos, supra p. 243 sqq.

Post sacrificium utere illis orationibus, quae habentur post Communionem (p. 250 sqq.), quia tam pro celebrante quam pro communicante sunt applicabiles.

Digitized by Google

TESTAMENTUM ANIMAE.

Testamentum hoc est quasi quaedam summa omnium orationum, quae in hoc libro continentur: eritque efficacissimum ad frangendos inimici in morte nostra incursus: unde optime faceres, si saltem quater in anno illud repeteres. Cum vero infirmaris, omni devotione illud perlegas aut si orare nequis, tibi legi facias.

In nomine SS. Trinitatis. Amen.

Quoniam ego miserrimus peccator de morte mea certissimus, at de hora eius incertissimus sum: hinc modo, dum mihi adhuc optime praesens sum, coram te, o beatissima Trinitas, atque coram tota caelesti curia ultimam voluntatem meam, qualiter vivere et mori cupiam, declarabo: super qua, ne umquam immutari queat, testamentum hoc, quod usque in aeternum sit irrefragabile, condam et erigam. Tu igitur, sanctissime Pater, oculis pietatis

Digitized by Google

tuae intuere super me indignissimum famulum tuum, sicut intuitus es Unigenitum tuum in monte Oliveti coram te prostratum et de omnibus meritis suis, ecclesiae suae legandis, disponentem. Et sicut orationem eiusdem Filii tui summo beneplacito suscepisti, ita etiam ultimam hanc meam voluntatem ratam, rationabilem acceptabilemque facere et habere digneris. Est autem haec.

Primo, in optima forma modoque efficacissimo lego, adscribo et integre trado tibi, o beatissima Trinitas, corpus meum et animam meam omniaque opera mea, quae per illa toto vitae meae decursu operatus sum. Atque summas et immortales ago tibi gratias, quod me creaturam rationabilem creaveris, sacro baptismate regeneraveris aliisque sacramentis sanctificaveris et infinitis bonis in corpore et anima, in particulari et universali affeceris. Propter quae fateor, quod tu solus potestatem in me habeas, quodque te solum et nullum alium extra te Dominum agnoscam.

Digitized by Google

Secundo, omnia bona omnesque gratias tam spirituales quam corporales, quas umquam a te accepi, illas omnes tibi Domino Deo meo soli adscribo: fateorque, quod ex abyssali tua benignitate atque sanctorum tuorum intercessione millecuplo plus boni mihi praestiteris, quam de te promeritus sim aut promereri umquam possem: quodque tam in corpore quam in anima, tam in prosperis quam adversis congruentissimo modo mihi provideris, prout nulla potentia, sapientia aut bonitas extrà te praevaluisset: de quo maximas quas possum in aeternum tibi decantabo laudes et gratias.

Veram fidem, quam in baptismo accepi, omnesque ac singulos eiusdem articulos firmiter credo atque profiteor tali modo ac forma, quali sancta catholica ecclesia eosdem credit atque profitetur: paratissimusque invenirer, potius vitam et sanguinem, quam vel unicum verae fidei articulum abnegare. Et si forte in morte mea diabolico instinctu quidquam huic sacrae fidei contrarium cogitarem, dicerem

Digitized by Google

aut facerem, id modo omnino irrito atque invalido. Quod ne fiat, commendo eandem tuae omnipotentiae, sapientiae atque bonitati, Deus meus, ut in hora mortis meae integra atque perfecta inveniatur.

Omnia et singula peccata a iuventute mea usque in hanc horam quomodocumque aut qualitercumque perpetrata detestor et abominor, de iisque ex mero tui, o pientissime Deus meus, amore vehementissime doleo milliesque plus dolere desidero. Et in suppletionem doloris illius, qui mihi deest, offero tibi contritionem illam, quam Unigenitus tuus pro totius mundi peccatis habuit. Et ut pro gravissimis a me tibi irrogatis iniuriis saltem aliqualiter tibi satisfaciam, offero et exhibeo me paratum, quamcumque de me vindictam sumere volueris, libentissime sustinere.

Quoniam vero omnis mea satisfactio longissime insufficiens est, hinc ad abundantissimos Iesu Christi meritorum thesauros confugio, offerens tibi omnem eius passionem, quam ab instanti conceptionis suae pertulit usque in illam horam, qua

Digitized by Google

in cruce inclinato capite spiritum tradidit. Atque in eiusdem sacratissima vulnera immergo et abscondo omnia mea peccata et neglegentias: rogans, ut pretiosissimo eius sanguine omnes maculas meas eluere igneque caritatis eius conflagrare digneris.

Ab omnibus et singulis, quos verbo aut facto umquam contristavi, humillime veniam deprecor: paratumque me offero, omne damnum honoris atque bonorum illis iuxta mensuram iustitiae compensare. Omnibus autem, qui me umquam verbo aut facto offenderunt, ex animo remitto omnem iniuriam et vindictam, sicut Christus in cruce inimicis et crucifixoribus suis ignovit pro iisque Patrem suum exoravit.

Agnosco et profiteor, me per propria merita caelum adipisci non posse; unde nec in iisdem, sed in meritis atque passione dilecti Filii tui sanctorumque patrociniis confido. Quibus tam firmiter innitor, ut nequaquam mihi imaginari queam, licet millies plus te offendissem, me aeternaliter periturum: utpote cum sciam, misericordiam tuam in infinitum transscendere

Digitized by Google

passionemque Filii tui sine mensura praeponderare omnibus peccatis meis.

Me ipsum totum cum omnibus, quae sum et possum, integerrime committo et resigno tuae sanctissimae voluntati, orans et optans, ut illa de me, per me, circa me perfectissimo modo adimpleatur. Non cupio unica hora diutius vivere, quam tibi placeat: non cupio hac vel illa morte vel infirmitate hinc discedere, sed solummodo illa, quam tu mihi immiseris. Immo si mihi liberum esset adhuc mille annis in omnibus deliciis vivere, malim tamen, si voluntati tuae conforme esset, hac hora decedere, quam praeter eandem vel unico momento vivere.

Amo te, Deus meus, amor meus, et in aeternum te amare cupio: quia propter summam perfectionem et magnificentiam omni amore dignissimus es. Et utinam millies plus te amare possem: immo si omnium hominum et angelorum corda et affectus haberem, libentissime illa in tui amorem converterem. Quoniam vero, ut par est, te amare nequeo, hinc rogo, ut

Digitized by Google

temet ipsum pro me tali amore, quali dignus es, amare velis.

Demum protestor, quod ut verus catholicus mori atque sacratissimis paenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis sacramentis communiri desiderem. Cupio etiam et exopto omnium missarum, orationum et suffragiorum, quae usque ad diem iudicii fient, particeps fieri. Et rogo te, o Christe Iesu, ut temet ipsum pro me Patri tuo offeras in holocaustum ac iuge sacrificium pro peccatis meis innumeris. Insuper rogo, ut animae meae in extrema sua angustia unicum tristissimi et in agone constituti Cordis tui suspirium donare velis unicamque sanguinis tui guttulam in salutem provenire concedas. Amen.

Obsignatio Testamenti.

Nunc igitur, o beatissima Trinitas, coram te atque tota caeli curia profiteor atque protestor, id omne, quod in hoc testamento continetur, esse ultimam sinceramque meam voluntatem atque sententiam, iuxta quam vivere atque mori desiderem. Cupioque,

Digitized by Google

quod hoc meum testamentum nullo modo irritari aut infringi debeat, sed tam ante, quam in et post mortem meam in suo robore et valore permaneat.

Quare deprecor te, Iesu benignissime, ut hanc ultimam voluntatem meam ratihabere eamque sacratissimi Nominis tui subscriptione firmare atque impressione quinque vulnerum tuorum tamquam sigillis consignare digneris. Similiter deprecor et te, o beatissima Virgo Maria, atque vos, dilectissimi patroni mei NN., ut eiusdem ultimae voluntatis meae testes esse eique nomina vestra subscribere atque in conspectu SS. Trinitatis eam recondere velitis. Cuius copiam in hoc libello descriptam retineo propriique nominis subscriptione communio.

Ita testor

indignus Dei famulus

manu propria.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google